
MANVALE SCHOLASTICVM
DE VITIIS, ET PECCATIS,
In quo
Quicquid per latissima Scholasticorum uolumina sparsim, et controuersum de ea materia reperitur, strictim ac dilucidè explicatur: et conplures etiam aliæ difficultates ad diuersas Theologiæ partes spectantes eadem breuitate enucleantur
AVCTORE IO. COTTVNIO
Phil. Med. et S. Theol. D. Equ. aur. S. Georg.
et in Patauina Academia Philosopho
Primæ Sedis Extraord.
PATAVII. Typis Iulii Criuella M.DC.XXXV. Superior. Permiss.

Eminentiſsimo, & Reuerendiſs. D.

D. ALOYSIO CAPPONIO,

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Domino ac Patrono clementiſsimo

F. P.

QVOD tibi, Eminentiſsime & Reuerendiſsime Princeps, humillimo animi niſu opuſculum dico, non offero quia id ſcripſeram, ſed vt offerrem conſcripſi, ęqua illa magni Regis Ptolemęi poſtulatione commonefactus, quem ab Euclide compendiariam aliquam regiamue in Mathematicis methodum enixè optauiſſe accepi-

mus; quòd viri principes aßsidua p-blicarũ rerũ sarcina districti, per latißima voluminũ pomœria minimè queant expatiari, sed quæ olim per ætatem, ac multis exantlatis laborib⁹ hauserant, in ea ictu pæne oculi pellustrarent. Longè æquiora Regis optata æuo redderentur nostro, cum *scribendi cacoëthes* cunctas scientias multijuga auxit polylogia, vt paßim quaq; de re tota cudantur volumina, & *cera implentur capaces*. Adeò vt haud minoris iam operę sit quid legas, quàm quid seligas.

Hinc mihi consilium subijt, quicquid pręcipuum multis ac magnis Scholasticorum voluminibus in perdifficili maximèq; abstrusa

ma-

materia DE VITIIS, & PECCATIS controuersum est, totisq; animorum artubus huc atq; illuc distractum exagitatur, breuibus quoad potero, hic complecti. Et quia res unicuiq; scientię subiectę, iunctę inter se catenatęq; existunt, efficere haud potui, quin multas alias, easq; in Theologia grauissimas difficultates adducerem, eademq; breuitate dirimerem. In id incubui maximè, ut breuitas non obscuritatem, sed lucem pareret. Veritas in impartibili posita est, & ut uetus habet sermo ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Eam inter crebra pugnantium auctorum tela collimari, atq; acu contingere enisus sum. An effecerim, eximia

qua existimatio ualeat.

Erit fortasse meus hic labor alijs, quos prolixa exemplaria uersare tędet, causa quidpiam addiscendi, dignoscendiq; qua lance quęq; sontium crimina pensitanda sint, quoue præmio insontium ac proborum uita afficienda: Celsitudini uerò uestræ ansa suppeditabitur, eorum S. Theologiæ dogmatum, quę diuturna ac sedula diligentia iamdudum comprehendisti, perinde subito intuitu reminiscendi, atque intuens in aliquod Veterum alicuius numisma, memorabilia illius facta in mentem reuocas. Hoc animo humillimus V. Celsitudinis cliens, tenue isthuc obseruantię ac ueteris clientelæ

ię meæ Donarium, æterno Clementię ac Virtutis tuę Fano appendo sacroque; atque ex intimo animi recessu Diuinam Bonitatē deprecor; ut V. Celsitudinem incolumen uegetemque quamdiutissimè seruet, efficiatque, ut,

Serus in Cœlum redeas: diuque
Lætus intersis populo Quirini,
Neue te nostris vitijs iniquum
ocyor aura Tollat.

Dat. Patauij Kal. August. MDCXXXV.

Eminentiss. & Reuerendiss. V. Celsitudinis.

Humillimus Seruus

IOANNES COTTV NVS

1634. a 2. Ottobre.

GLI Eccellentiss. Signori Refformatori dello Studio di Padoua veduta la fede del Padre Vicario dell'Inquisitione di Padoua et atte stato del Reuerendiss Monsignor Gasparo Lonigo che nel libro intitolato, Manuale Scholasticũ de vitijs, et peccatis parte stampato, & parte da stampare Auctore Ioanne Cottunio, non si troua cosa alcuna contra la Santa fede Cattolica, Principi, e buoni costumi, concedono licenza della stampa, douendosi nel resto osseruare quanto è disposto dalle leggi.

GEROLIMO CORNER CAV. PROCVR. REFF.
GEROLIMO SORANZO CAV. PROCVR. REFF.

Gerolimo Cauazza Secretario.

TRACTATVS PRIMVS.

De Peccato in communi.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura peccati, ex eius definitionibus cùm nominis, tùm rei.

CAPVT PRIMVM.

Varia peccati significata, & nomina.

NOMEN, horribile pijs auribus peccatum, varia in sacris paginis significata sortitum est. Principiò peccatum idem pollet, quod fomes peccati, quia hic est effectus peccati. Sic intellexit D. Paulus ad Rom. 7. *Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* nimirum fomes peccati. vt exponit hunc locum Concil. Trid. sess. 6. can. vlt. Nec nouum, ac insolens est, vt causam ex effectis significemus; qua dicẽdi forma hiemem pigram, timorẽ mæstum, senectam tri-

Prima acceptio peccati.

stem

ſtē, pallidam mortem, eleganter optimi auctores dicunt: Eodem loquendi modo veterarius ille ſophiſta diabolus, dictus eſt, *peccatum*, vt adnotauit D. Ambroſius in ſextum caput Epiſt. ad Rom. quòd ille mille nos technis ad peccatum pelliciat.

Secunda acceptio. Deinde, *peccatum*, accipitur pro materia, vel ſi mauis obiecto, circa quod peccatur, vel eſt peccandi occaſio. Hac phraſi locutus eſt Moſes Deuteron. 9. dum *peccatum*, ait, *veſtrum, quod feceratis, arripiens igne combuſſi*; vitulum videlicet in quo deliqueratis. Vt eo loci ait gloſa.

Tertia acceptio. Nonnunquam ponitur pro hoſtia, vel ſacrificio, quod ad expianda peccata offertur: qua notione accepit D. Paul. ſecundæ ad Corinth. 5. cum de Chriſto Domino, hæc omninò proferat, *& qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo*. Peccatum fecit, id eſt, ſemet in ſacrificium obtulit pro peccato, vt pro nobis Deo Patri de iuſtitia ſatisfieret. ſic ibi S. Th. & D. Aug. hom. 6. de verbis Apoſt. Eodem intellectu prolatum eſt illud Oſeæ 4. *peccata populi comedent ſacerdotes*. hoſtias nimirum pro peccatis oblatas, auctore eod. S. Aug. libro 3. contra duas Epiſt. Pellagianorum cap. 6. S. Greg. hom. 17. in Euangel. & D. Thoma in tertia parte quæſt. 15. art. 1. in reſponſione ad 4.

Quarta. Penitiori quoque ſenſu reperitur in ſacris litteris, *peccatum*, pro ſimilitudine quadam peccati: ita D. Auguſtinus capite ſexo nuper adducto interpretatur effatū illud D. Pauli Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum*.

Quinta. Quandoque interiore intellectu ſumitur, pro ſolo infidelitatis peccato; ſic in oraculo illo Chriſti Domini, Ioan. 16. *& cum venerit ille*; ideſt Spiritus ſanctus

ctus. *arguet mundum de peccato*. Quæ quidem expositio, præterquamquòd est S. Augustini lib. allegato, contra duas Epist. Pellag. c. 3. & Pagnini, in Isagoge ad mysticos scripturæ sensus, libro tertio, cap. 26. & Theophilacti; colligitur etiam ex ipso contextu, cum annectatur, *de peccato quidem, quia non crediderunt in me.*

Aliquando peccatum absolutè legimus pro originali. Sic intellexerunt Patres illud, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* peccatum mundi, inquit, Beda eo loci, & S. Thomas in tertia parte. quæst. prima, art. 4. dicitur originale, quod est commune totius mundi; enimuerò etsi redemptor noster, in mundum venerit ad tollenda omnia peccata (quamuis culpa hominum non omnia aboleantur) nihilominus præcipuè venit ad exterminandum originale, quod in vniuersam naturam humanam longè lateq. grassabatur; & quia bonum gentis, diuinius est, quàm bonum vnius, inquit S. Thomas ex Aristotele libro primo Ethic. cap. 2. iccirco, *Ecce qui tollit peccatum mundi*; idest, originale. — Sexta. — Christus venit in mundum præcipuè ad tollẽdum peccatum orig.

Denique pressius accipitur pro actu moraliter malo; in qua quidem acceptione, quod Doctores omnes in materia de peccatis facere solent, peccatum nos in præsentia intelligimus. — Septima accept.

Præterea, peccatum, quemadmodum multa, quæ hucusque percensui significata obtinuit; sic è contrario multis, ac diuersis nominibus in sacris paginis vocitatur. Dicitur delictum, culpa, facinus, crimen, scelus, flagitium, offensa, iniquitas, impietas, & si quo alio modo. Quod si petas, quid rei est, quod tot nominibus attollatur? Ea est ratio, quia, quemadmodum Deus ob suæ naturæ, bonitatis, & virtutis excellentiam, ac infinitatem, vno aliquo nomine pro dignitate exprimi nequit, de qua quidem re adeundus est S. Thomas in — Peccatum multis nominibus vocitatur, & cur.

prima parte quęst. 13. sic e regione peccatum ob suā fœditatem, & quam habet infinitatem, vt suo tempore dicam, nequit vna voce sufficienter explicari.

Quid delictum. Quamuis inter præfata nomina, non nihil discriminis intercedat. Etenim *delictum*, vel est desertio boni, nimirum a delinquendo, vt auctor est D. Augst. libro tertio quęst. super Leuiticum, quęst. 20. D. Grego. homil. 12. in Ezech. & Rupertus libro primo in Leuit. cap. 32. Vel est peccatum ex ignorantia, & fragilitate, iuxta illud Psal. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Vel denique malum illud quod solo interiori actu committitur, vt adnotarunt DD. Greg. homil. 21. in Euang. & Hieronymi. in Epist. ad Ephes. cap. 2.

Quid culpa. Culpa verò, vt tradit S. Thomas in prima secundæ, quæst. 21. artic. 2. significat, *actum inordinatum, secundum quod imputatur agenti.* Facinus. Facinus, si Augustinum audiamus, libro tertio de Doctrina Christiana cap. 10. Illud peccatum propriè vocatur, quod quispiam aduersus alterum committit; Flagitium. quemadmodum flagitium est, quod aliquis patrat in semetipsum; Crimen, scelus. Crimina sunt grauiora peccata, vt docet August. in Enchirid. cap. 64. & Greg. libro 21. moral. cap. 9. Vnde crimen læsæ maiestatis. Idem propemodum, ex iisdem auctoribus, pollet scelus. Offensa. Offensa dicitur, quia in quocumque peccato mortali, constituimus vltimum finem in creatura, vt dicemus infra, spreto ipso Deo; quæ maxima est Dei offensa. Iniquitas. Vocatur iniquitas, quia ex prima Ioannis 3. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit:* est autem iniquitas, quia fit contra æquitatem, & debitum, quo omnis creatura obstringitur suo creatori, redempta, suo redemptori, serua, ac liberata, Domino, ac liberatori. Impietas. Tandem nuncupatur impietas, quia contra affectum amoris, & gratitudinis, Deo ipsi, vt pa-

tri,

tri, debitum perpetratur; quamquam impietas, aliquando strictius, pro sola infidelitate, capiatur; vt adnotauit D. Greg. lib. 25. moral. cap. 13. quo intellectu profertur illud Psalmi primi, *non resurgent impij in iudicio.* Impietas aliqñ pro solo infidelitatis peccato.

Hinc Hieron. in Oseam. cap. 8. iniquitatem à peccato secernit, quòd peccatũ dicatur id, quod quispiam post baptismi susceptionem committit, iniquitas verò est peccatum, quod ante baptismum committitur.

Cæterùm, tametsi hæc peccati nomina, tam in sacris paginis, quàm apud sanctos Patres, & doctores passim reperiantur, communi tamen acceptione, actus inordinatus, & moraliter malus, appellitari consueuit peccatum; quòd istud præfata omnia, siue ea commissionis, seu omissionis sint, absque vllo discrimine complectatur, quamobrem nos etiam in præsenti materia, posthabitis aliis, hoc nomine, exemplo scholasticorum, vtemur.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit peccatum.

QVid peccati nomen importet, habes; quæ res sit, iam audi. Quia verò natura cuiusuis rei, vti non semel testatum reliquit Philosophus, ex sua definitione elucescit, erit nobis à peccati definitione, haud immeritò exordiendum. Cæterùm, pia illa, ac celsa Patrum ingenia, vt naturam, ac fœditatem huius teterrimi monstri, tùm etiam intimum animi candorem, ac detestationem, qua peccatum insectabantur, nobis ob oculos sisterent, varias eius, an definitiones, an descriptiones dedere. Magister sententiarum in secundo dist. 35. tres peccati definitiones adduxit, Mag. Medina in prima secundæ S. Thomæ quæst. 71. art. 6. quinque; Alexander Alens. in secunda parte quæst. 108. & Cur Patres diuersis modis describ serint pec.

quæst

quæst.123. Pater Onuphrius in Tract. de integra sacramental. cõfessione quæst.2. septem. Alii alias. Nos in presentia tres tantum in medium afferemus; ex quarũ dilucidatione, satis operi nostro factum iri speramus. Prima est D. August. libro 22. contra Faustum cap.27. *Peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.*

Pro cuius intellectu scire oportet, cum peccatum sit aliquod concretum, seu aggregatum, duo omninò continere: alterum materiale, alterum formale. Illud est actio humana, hoc malitia moralis, seu deformitas: quãobrem vt in artefactis materiale sortitur locum generis, sic in presens, dictum, factum, vel concupitum, est veluti genus; vt docet S. Thomas in secundo dist. 35. quæst. 1. art. 2. ad 3. & quia humana actio, aut est operatio oris, aut operis, aut cordis, summa cum ratione adiiciuntur hęc tria, *dictum, factum, cõcupitum*. particulæ autẽ illæ, *contra legem æternam*, explicant formale peccati.

Quod gen', quæ differentia in dicta definitione.

Ad hęc scito, per illam vocem, *vel concupitum* explodi Iosephi, Philonis, & quorundã aliorum errorem, Qui perfractè, & impudenter asseuerarunt, concupiscentiã internã, & prauas cogitationes, etiam accedente voluntatis assensu, modò non subsequatur externum opus, haud esse peccata. Hinc Iosephus lib.12. Antiquitatum acriter reprehendit Polybium, ob id, quòd litteris consignarit, Antiochum peccasse, quòd voluit templum Dianæ Ephesiæ deuastare: id absurdum dictu putat Iosephus, quia desiderium, inquit, quod opere non completur, peccatum non est.

Error asserentiũ prauas cogitationes non esse peccata.

Consimilem errorem refert D. Hieronym. ad caput 18. Ezechielis, asserentium, prauas cogitationes, dum consensus voluntatis accedit, esse quidem peccata, non tamen puniri à Deo. Ceterùm vtrumq; errrorem multis euertunt S. Greg. lib. 25. moral. cap. 3. & 4. & D. Hierony-

Confutatio.

ronymus ad cap.4.Hieremiæ. Atque aduersus vtrumque suppetunt clarissima sacrarũ litterarum effata. Prouerb.15. *Abominatio Deo cogitationes malæ*, Hieremię 4. *omnia hac mala veniũt propter malitiam cogitationũ vestrarum*. Veritas ipsa Matth.15. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, hæc sunt, quæ coinquinant hominem*; tùm sæpè alibi asseritur, cogitationes, ac desideria praua, verè esse peccata. Porrò Angelus, vt est communis Patrum opinio, punitus est, ob peccatum superbiæ; quod solo actu interiori committi solet, Hæc de definitione D.Augustini.

Altera peccati definitio traditur à D. Ambrosio libro de Paradiso cap. 8. *Peccatum est præuaricatio libera legis diuinæ*. *Præuaricatio quidem*, quia cum diuina lex, & vniuersa Dei præcepta, aut affirment, aut negent, quæcumque enim lex, alia quidem iubet, vt fiant, alia uerò ne fiant, vetat; consequens est, vt æquè is dicatur præuaricari, ac transgredi, qui facit id, quod lex vetat, atque ille, qui non facit, quod ea præcipit. Hinc fit, vt quicunque peccat, siue commissionis, seu omissionis peccatum, verè pręuaricetur. sic loquitur Dominus Hierem.3. *Verùm scito iniquitatem tuam, quod in Dominum Deum tuum, pręuaricata es*. Quod in causa est, vt docti aliqui viri, non procul à vero existiment, peccatum longè commodius appellari pręuaricationem, quàm actum; qui exprimitur in ea definitione, dum peccatum asseritur esse, dictum, vel factum, vel concupitum.

Secunda peccati definitio.

Deinde subnectitur, *libera*; de liberis hominis actionibus, & libero arbitrio, abundè SS. Patres. Et Scholastici in secundo dist. 24. & 25. aduersus fatuos hæreticorum errores. Nos in præsentia veluti solidum fundamentum substernimus, hominem esse uerè liberum; Nam, *illi apposita est aqua, & ignis, ad quod voluerit, porri-*

Verè in homine est liberum arbitrium.

porrigat manum suam; ante eum vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi; inquit Ecclesiastes cap. 15. Quid verò? quotus quisque est, qui non experitur, sese pro arbitratu posse agere, hoc, uel illud? agere, aut ab actu desistere? Atqui in hoc sita est hominis libertas. Quare optimè S. Thomas de malo quæst. 6. art. ultimo, *opinio*, ait, *negantium liberum arbitriũ in homine, non modò est hæretica, vt potè quę fidei aduersatur, sed numeranda etiam inter extraneas opiniones Philosophiæ; aduersatur enim principijs per se notis lumine naturæ.*

Libertas triplex. Gloriæ. Gratiæ. Naturæ, & quid ea.

Sed hic prætereunda non est partitio libertatis a D. Bernardo in opusculo de libero arbitrio, & alijs Theologis tradita, & accepta; vt libertas, alia quidem sit, a miseria, alia a peccato, alia denique a coactione, & necessitate; Primam appellant, libertatem gloriæ, quę in patria tantum obtingit, iuxta illud Roman. 8. *Liberabitur creatura à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Secundam uocant gratiæ, quæ homini, nisi in gratia existenti, non competit; etenim veritas, ait, Ioan. 8. *Amen, amen dico vobis, quicunque facit peccatum, seruus est peccati. Et si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Quò spectat elegans illud dictum Augustini, ex sermone 48. de verbis Domini, *planè Christus reddidit libertatem, si abstulit iniquitatem.* Quæ quidem meritò, optimoque iure, a nonnullis nũcupatur libertas Christiana; quòd nobis ope, ac munificentia Christi collata sit: iccircò lex gratiæ, dicitur lex perfectæ libertatis; qua de re omninò adeundus est S. Thomas in prima secundæ quæst. 107. & 108. Postremò est libertas a coactione, seu libertas naturæ: Hanc iure optimo asserit D. Bernardus penitus esse inamissibilem; Ea nihil est aliud, quàm facultas

qamu-

quæ piam ad opposita: Ita, vt adhibitis omnibus, quæ sunt ad agendum necessariò requisita, possit pro libito agere, vel non agere; agere hoc, aut illud. Quæ à Theologis dici solet, *facultas contradictionis, & contrarietatis.*

Libertas quis formaliter sit in voluntate, tũ quasi in radice est in intellectu.

Hæc facultas formaliter posita est in voluntate, at veluti in radice, in intellectu; Quia cum generatim, appetitus sequatur cognitionem, omninò necesse est, vt antequàm voluntas, quę est appetitus rationalis, ad aliquod inclinetur, præcedat cognitio, & iudicium intellectus, dictantis hoc esse amplectendum, vel respuendum. Quapropter ad libertatem, duæ conditiones sunt necessariæ, vt ostendit Mag. Medina in prima secundæ S. Thomæ, quæst. 6. art. 2. Vna quidem est indifferentia, & indeterminatio iudicij ad deliberandum; altera est, post deliberationem, facultas eligendi, vel refutandi id, quod deliberatum est; Prima conditio est fons, & radix libertatis, secunda, est ipsa libertas. Quæ doctrina est S. Thomæ in ea parte quęst. 8. art. 1. & quæst. 77. art. 2. & in prima parte quæst. 63. art. 1. ad 4. & quæst. 83. art. 1. & in secundo sent. dist. 24. quæst. 1. art. 2. & 3. tùm de verit. quæst. 24. artic. 2. & sexcentis alijs in locis. Cui apprimè consonat illud Prouerb. 11. *Errant, qui operantur malum.* Vt ergo pręuaricatio (ad rem redeo) sit peccaminosa, libera sit oportet; quia peccatum adeò est volutarium, ac liberum, ut nisi huiusmodi sit, exuat conditionē peccati. Hinc *aut negandum est, peccatum committi; aut fatendum est, voluntate committi: vnde primus homo, si necessitate consensisset Diabolo, nullo peccati crimine teneretur*; inquit, S. Augustinus libro de vera religione cap. 14.

Ad libertatem duæ cōditiones requirūtur.

Voluntate peccatur, aut rectè viuitur.

Vltima præfatæ descriptionis particula, est, *legis diuinæ.* Nulli dubium, peccata omnia esse contra legem

Dei. *Vbi enim non est lex, nec prævaricatio*, ait Doctor Gentium, Roman. 4. Quodcunque itaque lethale peccatum, est contra legem Dei, & contra ipsum Deum super qua re scripsimus affatim infra.

Non me fugit, a non nullis, inter quos est Albertus Magn. in Compẽdio Theologicæ verit. lib. 3. cap. 2. ita dictã peccati definitionem referri. *Peccatum est prævaricatio legis diuinę, & cęlestium inobedientia præceptorum*. Quæ tamen subsecuta verba, & cœlestium inobedientia præceptorum, attinent solum ad maiorem elucidationem prædictæ definitionis.

Obiectiones contra præfat. def. Quod si obijcias, peccatum omissionis, verè peccatum est, nec tamen dictum, vel factum, vel concupitũ est. Deinde, si iccirco est peccatum, quia *contra legem æternam*, si itaque non esset lex, quæ homicidium, furtum, idque genus alia vetaret, hæc neutiquam forent peccata; perinde ac esus carnium die Veneris, sublata, positiua lege, haud est peccatum. Homicidium verò, & furtum, ita suaptè natura sunt mala, vt nullo pacto cohonestari possint. non enim sunt mala, quia prohibita, sed prohibita, quia mala: quare vtraque peccati definitio deficere videtur.

Occurrendum est; Et quidem nonnulli Theologi, priore difficultate oppressi, actutùm dant manus, aientes, Augustinum, solũ peccatum commissionis, definiuisse. At qui iam diminutus erit D. Augustinus. Alij in omni omissione præcepti aiunt interuenire aliquem actum positiuum; ratione cuius, ex vero enuncietur, peccatum omissionis, esse dictum, vel factum, vel concupitum. Quæ quidem assertio infra Tractatu secundo diligenter erit à nobis examinanda. magis ergo solicitè obuiam it proposi tæ difficultati, S. Thomas in prima secunda quæst. 71. art. 6. ad 1. quod *affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, sicut in diuinis, genitum*,

Pro eodem sumitur in def. pec. dictum, & nõ dictũ, fact. & non fact.

nitum,

nitum, & ingenitum ad relationem, vt Augustinus dicit 5. de Trinitate cap. 36. & ideò pro eodem est accipiendum, dictum, & non dictum, factum, & non factum. Quod autem in altera difficultate, pro absurdo deducebatur, id omninò concedendum est, nempè homicidium, furtum, adulterium, & eiusmodi alia, si lege diuina non fuissent vetita, non futura fuisse peccata, nec mala moralia; quia vbi non est lex, nec præuaricatio. Nec tamen fuissent bona, sed veluti peccata naturæ, & monstra, quia non cohærerent cum recta ratione, ad cuius rectitudinem, vel defectum, pensitatur bonitas, aut malitia humanorum actuum: quæ omnia vt penitius intelligantur, & planior in hoc argumento sternatur via, aperiemus, tertiam peccati definitionem, traditam à S. Thoma in allegata parte, quæst. 71. art. 6. quod peccatum, sit actus humanus, moraliter malus, pro qua sit.

Homicidiū si lege diuina nō fuisset vetitū, non esset peccatum.

DISPVTATIO SECVNDA.

De definitione peccati, tradita à S. Thoma, *quod sit, actus humanus moraliter malus.*

CAPVT PRIMVM.

Qui, & quotuplex sit actus humanus.

ACTVS humanus, in morali materia, differt ab actu hominis, veluti inferius, a superiore: Omnis actus humanus est hominis, non e contra. Quippè subiti animi motus, prima intellectio, quæ omnē Voluntatis actum præuertit, quin etiā ridere, admirari, idq. genus alia, actiones hominis sunt, quia secundū entitatem, & substātiam, vni, ac soli homini conueniunt: at minimè sunt humanæ; quia actiones humanæ, eæ solummodo nuncupantur, auctore S. Thoma in articulo primo primæ secundæ, quæ a deliberata voluntate proficiscuntur: quia actiones humanæ propriè dicuntur, quarum homo dominium habet. Habet verò suorum actuum dominium, per intellectum, & voluntatē, iccirco eæ actiones propriè vocantur humanæ, quæ sunt ex deliberata voluntate, (nimirum quæ deliberationem, & consilium rationis sequuntur) vel quæ non modò quo ad substantiam,

Aliud est actus humanus, aliud actus hominis.

Quæ sit actio humana.

tiam, verùm etiam quo ad modum proprium, ac peculiarem homini, qua homo est eliciuntur. Hinc fit, vt homines furore perculsi, mente capti, ebrij, & pueri, tametsi edunt actiones hominis, hoc est, quo ad substantiam, non tamen humanas; quia nec cum ratione, nec cum deliberatione se agunt, sed potius pecudum more aguntur.

Quam quidem actionis humanæ partitionem, secundum substantiam, & secundum modum, quidam Theologi hoc illustrant exemplo. quia sicut opus aliquod bifariam est miraculosum, quo ad substantiam; cum id suaptè natura, omnes creaturæ vires excedit; veluti suscitatio Lazari Ioan. 11. Tùm verò secundum modum, vt febris socrus Simonis, quæ momento euanuit, Lucæ 4. Licet enim febris illa sanari posset virtute creata, sed non quantum ad modum, sic actio humana, &c.

Hoc intellectu capit humanas actiones, morum Philosophus (naturali verò Philosopho quæcunque actio hominis, humana est.) & Theologus. Ille, quia de actionibus humanis agit, quæ sunt dignæ laude, aut vituperio, in ordine ad commune bonum ciuile, & rectam Reipublicæ gubernationem; Hic de ijsdem tractat, quæ ad supernaturalem finem diriguntur, & quibus meremur, aut demeremur; Quæ omnia haud conueniunt humanis actionibus, nisi prout à ratione, & deliberata voluntate proficiscuntur. quia in naturalibus, nec laudis, nec vituperij, aleam quisquam subit; sed in ijs duntaxat, quorum ipse obtinet dominatum, & quæ pro arbitratu exercere, vel non exercere potis est. de qua re uidendus est S. Thomas in prima secundæ quæst. 6. art. 1. & quæst. 7. de potentia ar. 7. Quomodo morū Phil. quomodo Theolog. considerat act. hum.

Sed ego temperare me nequeo, quin hic totum Philosophi locum exscribam ex tertio libro Ethic. cap. 7.

qui

Locus Arist. de actibus humanis.

qui mirum in modum ea, quæ hic dicimus illustrat, hæc sunt ejus verba. Efficitur igitur vt virtus quoque in nobis, & similiter vitium sit, in quibus enim in nostra potestate situm est agere, est etiam non agere; & in quibus non agere, simili modo etiam agere. Quapropter si agere, cum honestum sit, in nostra est potestate, non agere quoque cum turpe sit, in nobis erit collocatum. Si item non agere, cum honestum sit, in nobis est, agere quoque cum turpe sit, erit nostræ facultatis. Quod si honesta agere, & turpia, & simili modo non agere, in nostra est potestate, id autem erat, vt boni, & mali simus, in nostra potestate quoque erit, ut & frugi simus, & nequam. Hæc Aristoteles. Ex quibus qui sint actus humani, & quæ eorum conditio, habes: nunc eorundem partitionem cape.

Partitio actuum humanorum.

Hi duplices sunt. Alij eliciti, seu interiores, alij imperati, siue exteriores: Ij vocantur eliciti, quicunq. immediatè ab ipsa voluntate proficiscuntur; vt amor, odium, &c. Quorum adhuc, duplex partitio; Prior, quòd actuum elicitorum, alij cōsistunt in prosecutione boni, ut amor, desiderium, gaudium, seu fruitio. Alij in fuga mali; vt odium, timor, tristitia. Et quidem desiderium, celebratur circa rem absentem, gaudium circa præsentem, amor ab utroque abstrahit. Æquè enim amore flagrare possumus de aliqua re siue ea præsens, seu absens fuerit. At nemo, nisi rerum absentium, desiderio tenetur. nec perfectè fruitur, nisi bono præsenti. Idem iudicium erit actuum contrariorum; timor versatur circa malum absens, tristitia circa præsens, odiū circa utrumq. de his abūdè Stagirites in Ethicis, & S. Thomas in prima secundæ quæst. 10. & deinceps.

Actuum elicitorum alij in prosecutione boni, alij in fuga mali.

Posterior partitio est, quod actus a uoluntate eliciti, alij uersantur circa finem, ut Volūtas, intentio, fruitio, alij circa media, ueluti electio, consensus, usus.

Quam-

Quamuis voluntas, intentio, & fruitio re ipsa nihil sint aliud, quàm *amor, desiderium, gaudium*. Electio autem est actus, quoquidem voluntas vnum aliquod medium, cęteris anteponit, & amplectitur ad finem obtinendum. Consensus verò est actus, quo voluntas consentit in media ab intellectu proposita. Hic ob diuersos tantummodo respectus, secernitur ab electione, siquidem prout voluntas, vult id, quod intellectus vtile, honestum, & amplectendum iudicauit, nuncupatur consensus, (est enim consensus actus voluntatis, respiciens etiam intellectum.) Vt verò voluntas, illud medium præfert alijs, dicitur electio. Postremò vsus, est actus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem mediorum. De his agit S. Thomas in prima secundæ à quæstione octaua vsque ad 17. quo loci multa eius interpretes: tùm de Consilio, & imperio, cuiusnam facultatis sint. eos, si vacat, adi.

Actus autem imperati, sunt quicunque ad volũtatis imperium, & nutum, ab alijs quibusuis facultatibus eliciuntur, vt ab intellectu, appetitu sensitiuo, sensu, & membris exterioribus. Iccirco in materia morali, anteriores actus, qui nimirum immediate ab ipsa voluntate dimanant, vocantur actus interiores; reliqui verò vniuersi, exteriores; ut etiam superiùs innui. Nec nescio aliquos Theologos, solum actum voluntatis imperantem, qui est intentio, appellare actum interiorem, alios verò actus imperatos (potest enim vnus actus voluntatis imperari ab alio) & si ab ipsa uoluntate effectiuè proficiscuntur, comprehendi nomine actus exterioris; exempli gratia, cum quispiam vult cõmittere furtum propter mæchiam, vel furatur, propter mæchiã, uolitio, seu intentio mæchiæ, fit actus interior, quia imperat actum, & electionem furti, electio autem furti, Quinam in materia morali actus exterior, & interior.

vocetur

Quid materiale, quid formale in definit. pec. tradita a S. Thom.

ponetur actus exterior; de qua quidem re egregiè Caietan. in prima secundæ S. Thomæ quæst. 18. art. 6. & Aluarez ibidē disputatione 70. Ex ijs, quæ hucusq. à nobis dicta sunt, liquidò constat, qui, & quotuplices sint actus humani, & quanta cum ratione a S. Thoma in definitione peccati asseratur, peccatum esse, *actum humanum*; quod hic ponitur veluti genus, ac materiale; quemadmodum id quod sequitur, *moraliter malus*, est formale peccati, de quo sit.

CAPVT SECVNDVM.

Vnde nam actus humanus reddatur moraliter bonus, aut malus?

DAbo paucis, etiam actus humani bonitatem, vt ex huius comparatione, magis malitia elucescat. Et quidem S. Doctor in prima secundæ quæst 18. ar. 4. hæc omninò committit litteris. *In actione humana bonitas quadruplex considerari potest, vna quidem secundum genus prout scilicet est actio: quia quātum habet de actione, & entitate, tantum habet de bonitate. Alia verò secundùm speciem, quæ accipitur secundum obiectum conueniens; Tertia secundum circunstantias, quasi secundum accidentia quadam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam.*

Actio, nec quia ēs, nec quia libera, hēt illā bonitatē moralem.

Bonitas primo loco a S. Thoma hic recensita, non est moralis, sed naturalis. Quod enim actio humana sit ens, quod liberè ab homine manet, nec moralis est, nec laude, aut vituperio digna. Vel enim esset qua est ens, vel qua liberè ab homine prodit; Non prius, quia tunc vniuersa entia forent moraliter bona, aut mala: Non posterius, quia vel ex communi hominum cōsensu nemo

mo laude, vel reprehensione afficitur, quia liberè operatur, sed quia ex regula rationis, uel contra operatur; quemadmodum artefacta, exempli causa domum, nemo commendat, quòd liberè ab artifice constructa, sed quòd affabrè, & ex regula artis effecta sit; ita actio humana. &c. Quamobrem, & si libertas sit prima radix operationis humanæ, ex ea tamen actio haud sortitur bonitatem, vel malitiam moralem. (alioquin omnis operatio humana, quantumuis praua haberet saltim aliquam circunstantiam bonam, nempè quod liberè producitur) sed tantum habet bonitatem naturalem, quæ quidem postea bonitati morali substernitur; ut sæpenumerò docuit S. Thomas. maximè uerò in primo sent. dist. 26. art. vlt. Hinc habe, toto aberrare cælo eos, qui absolutè affirmant, primam actus humani bonitatem, desumendam esse ex eo, quod actio liberè ab homine oritur, secundam autem desumi ex obiecto.

Hæc uerò naturalis bonitas posita est in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ naturaliter in entitate actus requiruntur; Id quod S. Thomas in prima secundæ quæst. 18. art. 1. appellat *plenitudinem essendi ipsius actus*. quemadmodum bonitas moralis sita est in integritate, seu aggregatione eorum omnium, quæ conueniunt actui, non iuxta eius naturam, sed secundum rectam rationem (quæ deinde consonat cum legè diuina: hæc quippè est prima regula, & mensura humanorum actuũ, ut explicat S. Thomas in prima secundæ quæst. 19. art. 3.) quo intellectu profertur a D. Dionysio lib. de diuinis nominibus cap. 4. *bonum consurgere ex integra causa, malum autem ex quocunq. defectu*. Sed

Bonitas actus naturalis, quæ sit, & quæ moralis.

Lex diuina est prima regula huma. act.

Relicta naturali bonitate actus, asserimus, omnem actionem humanam sortiri primam, ac specificam bonitatem, aut malitiam moralem, ex obiecto conuenien-

Prima bonitas moralis sumit ex obiecto

ti, uel non conuenienti cum recta ratione. Ita probat S. Doctor in prima secundæ quæst. 18. art. 2. Actio humana ab eo primam bonitatem moralem haurit, a quo & speciem; cum bonum, & malum actionis, sicut cæterarum rerum, attendatur ex plenitudine essendi, vel ex defectu ipsius; Primum autem quod ad plenitudinem essendi facit est id, quod elargitur speciem rei; Atqui actio sortitur speciem ex obiecto; perindè ac motus ex termino, & res naturalis ex sua forma; igitur, queadmodum prima bonitas rei naturalis depromitur ex forma, quæ illi largitur speciem, ita prima bonitas actus moralis, ex obiecto conuenienti. Et quemadmodum in rebus naturalibus primum malum est, si quod gignitur, non consequatur formam specificam, vt si uice hominis aliud quicquam generetur; ita primum malum in actionibus moralibus est, quod procedit ex obiecto. Huc spectat illud Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Quinimò rerum usus in dies nos docet, culpari, uel laudari homines ex ijs rebus, quibus se, & sua studia applicarunt. Nullus itaq. ambigendi relinquitur locus, quin actio humana præcipuam, ac specificam bonitatem, aut malitiam depromat ex obiecto.

Quō obiecta prębeāt bonit. aut malit; act. hum.

Verùm, ut, quæ dicimus penitius capiantur, scito, obiecta humanorum actuum propriè esse res ipsas, in quibus occupatur actio. At non ea ratione qua res sunt, sed ut cum recta ratione consentiunt, ab ea ve dissentiunt; Rem exemplis illustro; obiectum homicidii est homo, non vtlibet, sed prohibitus priuato iure necari: obiectum furti, est res aliena, non vtcunque, sed uetita auferri: obiectum eleemosynæ sunt pecuniæ, ut cum recto rationis tramite concinunt. Itaque ut facultates, ac scientiæ capiunt distinctionem, & specificationem ex rebus, seu obiectis, non in esse naturæ, sed in

gene-

genere, quod aiunt, ſcibilis, ſecundum maiorem, uel minorem abſtractionem à materia; Sic actiones humanæ, earumque bonitas, ac malitia diſcriminantur, ex obiectis, in quibus occupantur, & quæ reſpiciunt. Verùm non prout res quædam ſunt, ſed vt conueniunt, vel diſſident a tramite rationis.

Hinc fit, vt quemadmodum vna, atque eadem res in genere naturę ſpectata, ex varia abſtractionis conditione, ad diuerſas facultates ſpectare poteſt, ſic vnum idemque obiectum in eſſe naturæ, ſæpenumerò actum diuerſarum virtutum, vitiorum ve ſpecificat. Quippè amor Dei, & odium Dei circa eandem omninò rem, Deum, vertuntur. Item ablatio, & reſtitutio circa eãdem pecuniam. Sic e regione obiecta in genere naturæ varia, ac diuerſa, attinere poſſunt ad eundem actum in genere moris, vt acuere ferrum ob hominis necem, & necare, ſunt eiuſdem malitiæ moralis, & vterque ſubit homicidium. *Idem obiectum in eſſe naturæ ſpecificat diuerſos act' in eſſe moris, & cõtra*

Vnde haud immeritò Mag. Medina in prima ſecundæ S. Thomæ quæſt. 18. art. 5. eos uehementer carpit, qui aiunt, habitus morales diſcriminari ex differentia actuum, vel obiectorum in eſſe naturæ, ita, vt abſtinentia a carnibus, ſit vnus habitus moralis, abſtinentia ab ouis alius, a piſcibus alius: Et e contra, vnum eundemq. habitum moralem, verſari circa actus diſtinctos in eſſe moris: eundem v. g. eſſe habitum, quo quiſpiam ſtimuletur ad ueſcendum carnibus die Solis, ac die Veneris. Hos iure redarguit, quia diſcrimen, ait, obiectorum, quod differentiam ſpecificam actuum in genere moris conſtituit, ſumitur per ordinem ad rectam rationem; Quocirca, ubi fuerit eadem conformitas ad rectam rationem, erit eadem uirtus, ubi diuerſa conformitas, diuerſa uirtus. Et quoniam eadem eſt conformitas ad rectam rationem, ũt quis temperatè ſe ge- *Habitus morales nõ diſtinguuntur ex obiectis in eſſe nãæ,*

rat in carnibus, ouis, piscibus, cibo, ac potu; eadem est uirtus circa hæc omnia, quamuis in genere naturæ carnes, oua, & pisces sint diuersa. Et quia diuersa conformitas uesci carnibus die Solis, uel die Veneris, hic erit uitium, ibi nullum: sicuti eadem, uel diuersa abstractio formalis, facit eandem, uel aliam, atque aliam facultatem, ut dictum est.

Quid bonit. obiectiua, quid formalis.

Præterea scito, alio pacto inesse bonitatem, uel malitiam obiectis, & alio ipsis actibus. Inest in obiectis ueluti in causa: inest actibus formaliter. Illa in scholis appellari consueuit bonitas obiectiua. Hæc formalis: utramque aperio. Bonitas obiectiua nihil est aliud, quàm ipsa rei entitas, qua connotat relationem conuenientiæ cum recta ratione, quæ deinde consonat cum lege diuina. Malitia obiectiua nihil est aliud, quàm ea ipsa entitas, qua connotat relationem dissonantiæ cum eadem recta ratione, & a lege diuina: omnino adeundus est S. Thomas in prima secundæ quæst. 18. art. 8. Hinc enim aliud in se efficitur bonũ, & honestum, si uidelicet rectæ rationi consonet: aliud in se malum, ac turpe, si dissonet. Et quia hęc iam in se talia sunt, causant bonitatem, aut malitiam in actibus. Nam Voluntas, quę aliquod bonum appetit, idcirco recta, ac laudabilis est, & iudicium intellectus de eo uerum, ac rectum, quia illud obiectum per se bonũ, & honestum est, uel e contra. Quapropter recti mores, ut rectè dicitur, non faciunt obiectum bonum, & honestum, sed uersa uice, obiectum bonum, & honestũ, facit rectos, & bonos mores, perinde, atque conueniens medicina causat sanitatem, & contrarius cibus, valetudinem. Cuius rei hæc est ratio; quia sicut omnis actio Voluntatis præsupponit aliquam actionem intellectus, nil enim volitum, quin præcognitum: ita actio Voluntatis circa bonum, supponit iudicium de bonita-

Recti mores non faciunt obiectum bonũ, sed e cõtra.

te obiecti, cum non nisi in bonum feratur. Hoc autem iudicium, ut verum ac sanum sit, debet præsupponere tale obiectum, quale iudicatur esse. De qua re uidendus est S. Thomas in prima secundæ quęst. 21. Ideò Theologi bonitatem, aiunt, obiectiuam, priorem esse bonitate formali: hoc est, bonitatem obiecti, priorem esse bonitate actus; sicut nimirùm causa prior est suo effectu. Idem dicendum est de malitia. Hæc de obiectiua bonitate, & malitia.

Bonitas obiectiua est prior bonitate formali.

De actibus autem ipsis distinguendum est, vel in verba facimus de interioribus, qui quidem ab ipsa voluntate immediatè proficiscuntur, & hi proculdubio formaliter internèq. sunt boni, aut mali. Quia ita aliquid est bonum, aut malum, sicuti liberum: Actus autem voluntatis, formaliter, & intrinsecè sunt liberi, eoq. formaliter, & intrinsecè boni, aut mali. Vel de exterioribus, (exteriores appello, quicunque non eliciuntur à voluntate, sed imperio, & arbitratui eius subijciuntur, ac fiunt, ut sunt actus intellectus, sensus, appetitus, & membrorum exteriorum.) Hi gemino modo spectari possunt. Primò, prout a voluntate appetuntur, & imperantur; & hac ratione, habent se ut obiecta. Secundò prout a suis potentijs exercentur, & hoc modo se habent, ut actus. Exempli gratia, externa actio furti, uel homicidij, primò spectari potest, vt appetitur, & imperatur a voluntate: & sic voluntatis obiectum est. Deinde, ut actu exercetur ab homine per potentiam executiuam, quo pacto est actus potentiæ executiuæ. Priori modo capitur, cum dico, Petrus vult furari, P. vult occidere hominem. Posteriori, cum dico, P. re ipsa furatur, re ipsa occidit hominem.

Actus interiores formaliter sũt boni, vel mali.

Si igitur actus exterior spectetur priori modo, vt est actus interioris obiectum, est bonus, uel malus obiectiuè, quia vel potest appeti secundum rectam rationem,

uel

Quo actus exteriores sunt boni, aut mali.

vel non: Si prius, bonus est; si posterius, malus. Si verò accipiatur posteriori modo, (quatenus actus est, & versatur in executione, tanquam effectus interioris actus) est bonus, vel malus formaliter; non quidem intrinseca denominatione, quæ proueniat à bonitate, vel malitia ipsi exteriori actui inhærente, sed denominatione extrinseca; nimirum a bonitate, uel malitia existente in interiori voluntatis actu. Ita S. Thomas in prima secundæ quæst. 20. art. 2. & 3. cuius rei in promptu suppetit ratio, quia actus exterior eo modo est bonus, aut malus moraliter, quo est liber, & voluntarius: Vt uerò sit liber, ac uoluntarius, id habet ab actu interiori, a quo imperatur, quare ab eodem quoque habebit, ut sit bonus, aut malus moraliter.

Actus exterior quid addat actui interiori.

Ex his etiam conspicis quàm graui, ac solida cum ratione maior, sinceriorque Theologorum pars, asseueret, hæc tria. Vnum, Actum exteriorem sæpenumerò esse occasionem, ut actus interior melior, peiorve efficiatur; quia plerumque actus interior intenditur ob delectationem, quæ ex actu exteriori decerpitur; Deinde, quia accedente actu exteriori, persæpè repetitur interior, vnde eius bonitas, uel malitia crescit. Postremò quia actus interior, propter exteriorem diutius continuatur; quod hic moram exigit, ut compleatur.

Alterũ, Actum exteriorem non solum esse occasionẽ, eo modo quo diximus: uerùm permulta etiam afferre commoda, si bonus sit, uel incommoda si malus. Nam exterior sacramenti perceptio, affert gratiam, animi solamen, pacem. &c.

Tertium est, Actum exteriorem, etsi hæc omnia præstet, nihilominus, si propriè loquamur, nunquam posse augere bonitatem, aut malitiam actus interioris, quando Voluntas efficax est. Quia Voluntas pro facto, & affectus pro effectu iudicatur apud

Deum

Deum. Itaque sicut sanitas, quæ residet in pulsu, non auget in animante vllam sanitatem, quòd is appelletur sanus denominatione extrinseca, a sanitate, quæ formaliter est in animali, (pulsus enim est sanus, vt signum, & effectus illius sanitatis.) ita actus exterior, cum sit bonus, vel malus, vt dictum est, denominatione extrinseca, a bonitate, vel malitia, actus interioris, & est effectus bonæ, aut prauæ Voluntatis, nullam addet bonitatem, aut malitiam. Qua de re S. Thomas in prima sæcundæ quæst. 20. artic. 4. Vnde colligunt Theologi, loco quem dixi, & in secundo dist. 42. coram Deo neutiquam esse melioris notæ eum, qui re ipsa pro Christo mortem oppetiit, quàm qui habuit efficacem Voluntatem pro Christo martyrium subeundi, nec tamen oblata est exequendi facultas. Et similiter, *Si quis habet Voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas, coram Deo, tam reus est, atque si opere compleuisset.* inquit S. Augustinus lib. primo de libero arbitrio cap. 3. Hæc de bonitate, & malitia humanorũ actuum, quæ ex obiecto depromitur; & est bonitas, vel malitia actus essentialis, primaque in genere moris.

Coram Deo æque bon' est', qui re ipsa p Christo morit, atq. is, qui flagrauit efficacis voluntate moriendi, sed defuit occasio.

Præter hanc, inest actibus humanis alia bonitas, aut malitia, vt iam tetigimus, ex fine. Nulli dubium: id, quod tam frequens est cùm in sacris, tùm prophanis scripturis, vt hoc pluribus confirmare velle, sit lucẽ soli adiungere velle. Ita probat S. Thomas in quæst. 18. commemoratæ partis art. 4. August. in lib. de moribus Eccles. & Manichæor. *Secundum quod*, inquit, *finis laudabilis fuerit, aut vituperabilis, secundum hoc sunt opera nostra laudabilia, aut vituperabilia*, id, quod Saluator noster indicauit, dum Matth. 6. & Lucæ 11. *Si oculus*, ait, *tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequã fuerit, totum corpus tuum*

Bonitas, aut malitia, act. human. ex fine.

tene-

Quid pro oculo, quid pro corpore in sacris litteris intelligitur.

tenebrosum erit. Oculus in sacris paginis est intentio finis, corpus, sunt opera nostra. Audi Augustinum libro secundo de sermone Domini in monte cap. 21. *Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus, quidquid facimus; quæ si munda fuerit, & recta, omnia opera nostra, quæ secundum illam operamur, necesse est bona sint*. Quod etiam docet libro 4. contra Iulianum cap. 3. & sæpè alibi. qua de re vidẽdus est Aluarez, & Medina in prima secũda S. Thom. quæst. 1. art. 3. Et profectò *Finis coronat opus*.

De fine, multa ac subtiliter Scholastici, quæ nos in oportuniorem reijciemus locum. Hoc tamen in præsentia supprimendum non est, finem esse duplicem, alium internum, ac proximum, alium externum ac remotum.

Finis alius dictus est, operis alius operantis.

Prior est idem cum obiecto, & locum habet in amore, ac intentione finis. Posterior in electione mediorũ: Amor .n. & intentio versantur circa finem veluti circa propriũ, & immediatũ obiectum; electio verò neutiquã occupatur circa finem, ut proprium obiectũ, sed circa media, attamen refertur ad finẽ, ut ad aliquid extrinsecum quidem, sed ad quod dicit internam habitudinem. Cum enim N. eligit furtum ob adulterium, hoc est extrinsecum ipsi furto, quod nihilominus furtum intrinsecè respicit adulterium, cum ob illud ipsum eligatur. Prior finis, in Scholis nuncupari consueuit, finis operis; posterior, finis operantis. Ille, ut innui, est idem, atque obiectum, hic est potissima ex circunstantijs, additque electioni, bonitatem, aut malitiam; præter illam, quæ ex obiecto hauritur; quia uerò S. Thom. loco, initio huius capitis adducto, aiebat, actus humani bonitatem, aut malitiam adhuc ex circunstantiis desumi, de his dicamus non nihil. quare sit.

CAPVT TERTIVM,

Quanam actus humani bonitas, aut malitia sumatur ex circunstantiis.

DE circunstantijs humanorum actuum, varijs in locis agunt Theologi; in prima secundæ S. Thomę quæst.7.& quæst.18.art.10.& 11.& quæst.72. art.8. & quæst.73.art.7.& deinceps; tùm in quarto sent.d.16. Multa etiam Patres: D. Basilius sermone secundo de baptismo cap.8.Chrysost.hom.29. in Matth. Damascenus libro secũdo de fide orthodox.cap.24.Augustinus, & alij passim: postremò sacrum Tridentinum Conciliũ sessione sexta cap. 5.hęc habet. *Quia sine circunstantiis, peccata ipsa, neque a pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere, ideo, &c.* quod repetit eadem sess. can.7. Equidem in præsens, hæc perstringam. Primò quot, & quid sint humanorum actuum circunstantię. tùm, an augeant eorum bonitatem, aut malitiam. Postremò quo pacto id præstent.

Principio, de earum numero non conuenit inter auctores. Aristoteles in tertio libro de moribus cap. 2. has omninò percẽset. *Quis, quid, circa quid, aut in quo agat, interdum etiam quo, ut instrumento; cuius causa, vt salutis; & quomodo, vt sensim, aut vehementer.* De quibus affatim scripsi in iis Commentarijs quos in Aristotelis ethicam, adhuc perpolimus: Cæterùm alio pacto morum Philosophus, Rhetorue perpendit circunstãtias, atq. Theologus, quod adnotauit quoque S. Thomas in prima secundæ quæst.7. art.2. ad 3. Quot sint humanorũ actuũ circunstãtiæ?

Quidam verò Theologi circũstantias fecerunt octo,

Quis, quid, circa quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando, D. Bonauentura in quarto sentent. dist. 16. dub. 9. bis septem enumerauit. Secus alij, atque alij; quos refert. Pater Onuphr. Tract. 1. de Peccatis. disp. 3. quæst. 3. Verùm S. Thomas, & maior Theologorum pars, vniuersas humanorum actuum circunstantias, septenario numero concluserunt; quæ hoc versu trahuntur.

Circunstantiæ humanorū actuū septem.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quid vnaquæq. circunstantia significet.

Enucleemus quid significet vnaquęque. *Quis*, haud denotat principale agens, quod ad quamuis operationem necessario adsit oportet, sed operantis qualitatem, seu accidentariam personæ conditionem; ut exempli causa si laicus sacerdos, episcopus, mulier monialis, soluta, an nupta. Super qua quidem circunstātia magna lis agitatur inter Theologos in quarto sent. distin. 16. num virgo, vel monialis, quæ actu interno in virum cōsentit, teneatur in confessione exponere, se esse virginem, aut monialem.

Quid, Eodem modo, non est præcipuum obiectum, ex quo, ut a nobis ostensum est, actus eruit speciem; sed conditio, & appendix obiecti: ut in furto, *Quid*, non est res aliena, sed alienę rei decem, aut centum; quæ obiecto furti accidunt. Qui verò præter circunstantiam, *quid*, addunt *circa quid* rem ita explicant. Torqueat N. missile vt hostem laicum traijciat, & prius quam emittat, videat cum eo sacerdotem, ita associatum, vt priorem occidere nequeat, quin posteriorem etiam necet: nihilominus iaculatur; vtrumque occidit. Quo casu, aiunt, sacerdotis necem esse circunstantiam, *circa quid*, si ad occisionem inimici comparatur, quæ ex principali destinato prætendebatur; Hæc fortasse non procul a vero dicuntur; tamen si rem accuratiori trutina perpendas, *circa quid*, ad circunstantiam quid commodè reuocari posse uidetur. *Vbi*, circunstantia loci, liquidò apparet,

Explicatio circunstantiæ circa quid.

paret, in furto, alioue scelere in sacro loco pattato. Clara est itidem circunstantia *quibus auxiliis*, vel *quo*; sicuti etiam *quomodo*, seu operandi modus, *Cur*, idest, finis operantis, ut cum N. elargitur eleemosynam ob inanē, & cassam gloriam. Denique, *quando*, tempus: vt quicquam fiat in festo, vel protesto. Hinc habes quot, & quid circunstantiæ sint, omnes autem hasce aggrauare peccatum, & augere actus humani bonitatem, aut malitiam, vel hinc dispice.

Et quidem personæ conditio aggrauat ex quatuor capitibus, auctore S. Thoma in prima secūdę quæst. 73. art. 10. Primùm, ex facultate resistendi, quia facilius peccato resistere possunt, qui rerum cognitione, qui virtute, qui deniq. prærogatiua aliqua pollent. Hinc peccata fidelium, si cętera adsint paria, grauiora sunt, quàm infidelium, nam *seruus sciens voluntatē Domini sui, & non faciens plagis vapulabit multis*. Lucæ 12. Deinde, aggrauat ob ingratitudinem, enimuerò qui maioribus beneficijs a Deo Opt. Max. affectus delinquit, effrons magis, ingratiorq. erga benefactorē efficitur: quod innuitur Matth. 26. illis uerbis, *tunc abiit vnus de duodecim*; in quę quidem verba Chrysostomus homil. 81. in Matth. & D. Leo serm. 7. de Passione, qualitatem aiūt personæ, auxisse proditionis scelus; quia erat unus ex supremo Apostolorum choro. Quæ conditio de ijs etiam intelligenda venit, qui facultatibus, honoribus, potestate, temporariis bonis, accumulantur; iccirco Sapientię 6. dicitur, *Potentes potenter tormenta patientur*. Præterea, aggrauat ob peculiarem quandam peccati repugnantiam cum excellentia personæ. Vt si Princeps, qui iuris, & æqui custos vindexque existimatur, iustitiam violet; sacerdos sese uitijs, quæ castigare debet, polluat; Quapropter D. Chrysostomus homil. 76. ad populum, eleganter exagitat peccatum Dauid, *quia*

Circunstantia quis aggrauat primo ex facultate resistendi.

Secundò ob ingratitudinem.

Tertiò ob peculiarem repugnantiam.

erat Propheta. Quæ quidem conditio in causa est, ut ęquius culpetur diues, si indigenti non succurrat, quàm alius tenuæ facultatis. Postremò aggrauat ob exemplum, seu scandalum, oraculum est elegans illud Claudiani; Honor. 4.

Postremò propter exemplum.

componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Vt enim in corporibus, sic imperio grauissimus est morbus, qui a capite diffunditur. Nec quisquam mihi latebras nescio quas hìc obtendat, *Principi*, inquit Stoicæ familiæ pater Seneca lib. de Clem. cap. 8. *Non magis, quàm soli latere contingit, multa circa eum lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt*. Plinius in Paneg. *Habet*, inquit, *hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur; Principum verò non modò domos, sed cubilia ipsa, intimosq. recessus recludit, omniaque arcana, noscenda famæ proponit, atque explicat*. Sic ergo aggrauat peccatum circunstantia. *Quis*, sicut e regione auget bonitatem.

Quid, auget bon vel malit. tripliciter. Primò ex parte Dei.

Quid. appendix obiecti, & conditio personę, in quā peccatur; procul dubio auget actus bonitatem, aut malitiam; idque ex triplici fonte. Primò ex parte Dei, cui quidem eò magis quisquam coniungitur, quò maiori virtute pollet; vel Deo sacratior est: ex quo fit, ut iniuria, in huiusmodi personam illata, magis quodammodo in Deum ipsum redundare videatur. Huc spectat illud Zacharię 2. *Qui vos tanget, tangit pupillam oculi mei*. Id in causa est, inquit S. Thomas, cur tertio Regum 9. peculiari modo exagitetur scelus contra res, & sanctos Dei, perpetratum, cum dicitur, *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio*. Secundò, ex parte ipsius peccantis; si illi, persona, inquam delinquit, coniuncta sit, an amicitię, an sangui-

Secundò ex parte peccantis.

nis

nis vinculo, vel alio modo. Ad hoc adducit S. Thomas Tullium in Paradoxo, *Quod aqualia peccata*, hæc omninò scribentem. *In seruo necando semel peccatur, in patris vita violanda multa peccātur; violatur is, qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, is qui in sede, ac domo, atque in Republica collocauit*. Postremò, ex parte proximi. si maiori afficiatur damno, vel plures offendantur: iccirco, qui in Principem, Regēue delinquit grauius peccat, quàm si in quemquam priuati iuris, idem illud molliretur. quia Princeps multitudinis habet vices. Propterea Exodi 22. præcipuè uetatur, *Principi populi tui ne maledices*. & Ecclesiast. 10. *in cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui, ne maledixeris diuiti; quia aues Cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam*. Quæ tandem circunstantia liquido apparet in furto maiori, uel in liberalitate.

Tertiò ex parte proximi.

Vbi. locus, nam ideò laudibus euehitur Iob, quòd in terra Hus, inter idolorum cultores, vbi vix erat vnus aliquis, qui faceret bonum, ipse extiterit rectus, ac timens Deū. Hinc de se ipse, *Socius fui draconum*. Culpantur uerò filij Israel Oseæ 8. *quod sicut Adam transgressi sint pactum*: hoc est sicut Adam in Paradiso; ita filii Israel in templo peccarunt, colentes idola. Clarè apparet in furto, uel homicidio in quouis sacro loco patrato.

Circunstantia *Vbi*.

Quo, vel *quibus auxilijs*. Quia ob id laudatur Dauid primo Reg. 12. quòd Philisthæum, non ferro, uel hasta, sed *in nomine Domini* interfecerit; Cōtrà uerò Isaiæ 26. carpuntur Iudæi, quòd Ciuitatem auxiliis humanis, & non diuinis defendere, ac tutari eniterentur. quò etiam spectat, si quis cogat alium ut sibi ad facinus aliquod exequendum auxilium ferat si iniustè, si uiolenter cogat, &c.

Quibus auxilijs.

Cur. circunstantiam finis augere actus bonitatem, aut

Circunstantia *Finis*.

aut malitiam, clarius est, quàm ut ulla egeat approbatione. De qua quidem re nos capite ꝓximè præcedenti diximus, finis aūt, qui est circunstantia, neutiquam est finis operis, actuiq; internus, sed operantis, & extrinsecus, vt superius diximus, quemadmodum quando quispiam ob inanē, & cassam gloriam eleemosynam elargitur.

Modus operandi variat act. *Quomodo*. modus agendi, Commendata est a Christo Domino Magdalena, eique dimissa sunt peccata multa, quia dilexit *multùm*. & Abraham Genes. 13. *Quia cucurrit ad gregem, ut pasceret agnos*. E contra verò in Psalmo 13. *veloces pedes eorum ad effundendū sanguinem*.

Tempus idē facit. *Quando*: circunstantia temporis mirificè decorat, aut deuenustat actū, enimuerò præclarè meruit latro, quòd Christum, quo tempore conuitiis, & contumelijs, a cęteris proscindebatur, inter supplicia in cruce pendentem confessus sit. Et D. Leo perpendens illud Matth. 26. post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur, peccatum, ait mortis Christi auctum esse, quia factum est in die festo. De hac circunstantia, sicut de omnibus alijs, multa, subtiliterq; Theologi locis quę superius allegaui; nobis, pro instituto nostro, hæc perstrinxisse satis, ex quibus habes, quot sint humanorū actuum circūstantię, quid sint; & quod augeant actus bonitatē, aut malitiā. Reliquum est, ut quod vltimo loco posuimus, *quomodo augeant* paucis enucleemus; pro quo sit.

CAPVT QVARTVM,

Quomodo circunstantiæ augeant bonitatem, aut malitiam actus humani.

ALiquammulti Theologi, in quorum numerum venit Durandus in secundo dist.38.quæst.1. Gabriel dist.41.quæst.1. Conradus in prima sæcundæ S. Thomæ quæst.19.art.2.& nonnulli alij pugnaciter asseuerant, circunstantias nuper allatas, esse quidem accidentia actuum exteriorum;collatas verò ad interiores voluntatis actus,haud amplius circunstantiarũ limitibus concludi,sed euadere obiecta specificatiua. Adducuntur verò, vt ita credant, eo potissimùm argumento,quod præfatæ circunstantiæ, sunt volitæ; Quod autem est volitum,id omne voluntatis obiectum statui debet,quemadmodum quidquid est visum, est obiectũ facultatis videndi.

Quilibet actus hum. et interior ornatur,vel deformatur circũstãtiis.

In opposito stat commune Theologorũ sancitum, enumeratas circunstantias, non modò ad exteriorem actum,sed ad internum quoq. ueluti accidentarias formas spectare. Itaque omnis actus moralis etiam immediatè a voluntate profectus sortitur bonitatem, vel malitiam accidentalem ex circunstantijs. Vt enim inuoluit contradictionem reperiri vllam creatam substantiam,quæ totam suam bonitatem,& perfectionem ex sola forma specifica sortiatur, quod enucleatè ostendit S.Thomas in prima parte quæst.5. art.1. & Boetius in libro,cui inscriptio,an omne quod est, sit bonum: Ita implicabit,dari actum humanum, qui totam suam perfectionem,& bonitatem ex solo obiecto specifico nanscicatur. Deinde,qui vnquam vllus actus etiam interior dari potest,absque duratione,& intensione? Atqui

dura-

duratio,& intensio circunstantiæ sunt. Postremò, ex opposita sententia liquidò consequitur, actum charitatis intensum vt quatuor, essentiali specie discriminari, ab actu charitatis intenso ut sex: nam maior illa intensio reddet diuersum obiectum specificatiuum. Quod tamen nullo pacto dicendum est. Circunstantiæ autem sunt uolitæ, uel tanquam modi quidam obiecti, uel implicitè. Hoc ergo posito, id, quod in præsentia quærimus, duabus assertionibus dirimi potest.

Quædā circunstantiæ addūt actui hum. bonit. aut malit. intra eandem speciē

Prior est, aliquæ circunstantiæ augent actus bonitatem, aut malitiam intra eandem speciem bonitatis, aut malitię. Exemplis illustro; rapere alienum constituit peccatum furti, si autem accedat, ut rapiatur *multùm* erit furtum grauius, si minus, leuius; intra speciem nihilominus furti. Itē hic actus interior, *Volo colere Deū*, ex obiecto bonus est, spectatque ad speciem religionis: si uerò accesserit circunstantia. *Volo colere Deum maiore conatu*, vel *tota die*, efficitur utique melior intra eandem speciem. Et quidem actum reddi meliorem; certo certius est. Non differre autem specie, uel hinc apparet; quia tunc duo actus sunt eiusdem speciei; cum eliciuntur ex eodem motiuo, etenim *circunstantia nunquam transfert actum in aliam speciem, nisi quando est alius motiuum*, inquit S. Thom. in prima secūdę quęst. 72. art. 9. Atqui *velle colere Deum*, & *velle colere eundem maiori conatu*, vel *tota die* fiunt ex eodem motiuo, nimirum ex honestate religionis, quamobrem vterque est eiusdem speciei. ita etiā probat S. Thomas in quæst. 18. art. ultimo adductæ partis.

Quædam mutāt speciem actus.

Posterior assertio, Nonnunquam circunstantiæ afferunt actui bonitatem, aut malitiam diuersæ speciei ab ea, quæ ex obiecto depromitur; ita, ut actum de una in aliam speciem transferant. De malitia sanxit Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 5. his omninò uerbis.

Colli-

Colligitur praeterea etiam eas circunstantias, in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, idē repetit can. 7. addent igitur etiam bonitatem, specie distinctam: cum sit par ratio. Porrò quotus quisque est, quem fugiat, furtum, aliudue scelus in loco sacro, in rem, aut personam sacram, perpetratum, in sacrilegiū immigrare? Audi S. Thom. in prima secundę quæst. 73. art. 7. qui circunstantias ait, tripliciter aggrauare peccatum: *Primò, quia transfert actum in aliam speciem, vt circunstantia mulieris habentis virum, transfert fornicationem ad speciem adulterij. Secundò, quia multiplicat rationē peccati intra eandem speciem, vt cum prodigus det quando non debet, & cui non debet. Tertiò, cum auget deformitatem intra eandem speciem, vt furari multum.*

Quod si quæras, potest ne sciri, quando nam circunstantia mutat speciem actus? quando intra eādem speciē, auget? Maximē omnium. Scies verò hoc pacto; Circunstantia tunc solummodò mutat speciem, cum in conditionem principalis obiecti immigrat, enimuerò nihil vnquam actui speciem conferre valet, nisi obiectum, vel quod in rationē obiecti transiliat. Ita se rem habere quis facile intelliget, ex S. Thoma in prima secundæ quæst. 18. art. 5. ad 4. & art. 10. ad 2. & quæst. 72. art. 9. Transit autem in rationem obiecti, cum nouam cōformitatem, vel dissonantiam dicit cum recta ratione, seu *in quantum respicit specialē ordinem rationis*. exempli causa, locus sacer suapte natura adfert conformitatem ad rectam rationem, quia rationi consentaneum est, vt is in honore habeatur. Quamobrem cum in eo furtum committitur, præter malitiam furti, est dissonantia loci cum recta ratione, cui pro honore irrogatur, inuriturque irreuerentia. Cæterùm *Multum*, & *parum* de se haud respiciunt rationis normam; sed

Circunstantia mutat speciem actus cum trāsit in cōditionem obiecti.

Quando circunst. transit ī obiect.

E solum

solum substrata, ac præsupposita alia bonitate, aut malitia: ex quo fit, vt ea adiuncta minimè mutent actuũ species, sed augent dumtaxat præexistentem bonitatẽ, aut malitiam, vt in eleemosyna, aut furto.

Optima Caietani doct. de circunstantiis.

Equidem hic conniuentibus oculis trãsilire nequeo doctrinam Caietani, ex prima secundæ quæst. 18. ar. 10. quæ rem hanc medullitus aperit. Quod quemadmodum in rebus naturalibus accidentia, alia quidem sunt, quędam formæ, suapte natura, & conditione distinctę, cuiusmodi est albedo, nigredo, calor. Alia verò sunt quidam modi alterius formæ præexistentis, vt maiùs, minùs, intensiùs, remissiùs; idque genus alia; ita in morum doctrina quædam circunstantiæ (sunt enim hæ humanorum actuum accidentia) habent secundum se consonantiam, vel dissonantiam cum recta ratione, alię verò non habent, nisi præsupposita alia bonitate, aut malitia. Circunstantiæ anterioris generis, ponunt actum in una aliqua specie, sicut albedo, id, cui aduenit, constituit in specie albi: quæ verò sunt posterioris notæ, non mutant speciem, sed augent duntaxat bonitatem, aut malitiam. Hoc quoque scies; Circunstantiam, quę non mutat actus specie, nonnunquam intensiùs aggrauare peccatum, quàm quæ mutat speciem: grauius delinquit, qui rem aliquam magni precij ex prophano loco, quàm qui minimam e sacro surripiet.

Fieri potest vt circunst. quę nõ mutat speciem magis aggrauet, quàm quæ mutat.

Pro coronide huius argumenti hoc adhuc scito, Circũstantiam, quæ mutat speciem actus, gemino modo id præstare posse: Vno quidem tribuendo actui bonitatem, aut malitiam primam: Alio, conferendo bonitatẽ, aut malitiam secundam, V. g. cum actus quispiam ex obiecto bonus, deprauatur ex circunstantia, ut cum N. ieiunat ob inanem gloriam, uel preces fundit, ut ab hominibus videatur, circunstantia finis inanis gloriæ, inficit actum ieiunii, alioquin bonum ex obiecto, &

Circunstan. quæ mutat speciẽ, aut confert bonitatem, & malitiã primam, vel secundam, & quæ ea.

qui-

quidem malitia prima, cum in eo nulla præfuerit alia. Verùm cum circunstantia actum ex obiecto bonum defert in aliam speciem boni, vt cum quispiam elargitur eleemosynam ad extruendum altare, vel contra furatur in loco sacro, vel vt fornicetur, aut quemquam interficit quò eius vxore potiatur, hìc circũstantia tribuit bonitatem, aut malitiam secundam: præstabit enim primam ex obiecto. Qua quidem distinctione iacta, duplex inter Theologos emergit soluendus nodus. Alter, cum circunstantia confert actui primam bonitatẽ, vel malitiam, præstat ne id, quà circunstantia, an verò quà migrat in rationem obiecti? Cuius enodationem iam superius habes: nunquam videlicet, circũstantiam commutare posse speciem actus, neque conferre primã bonitatem, aut malitiam, nisi ut migrat in rationem obiecti.

Alter verò scrupulus est, Cum circunstantia tribuit actui humano bonitatem, aut malitiam secundam, præter eam, quæ ex obiecto depromitur; sitne ibi duplex species boni, uel mali moralis, an vna? exempli causa, furatur quispiam in loco sacro, est ne hìc formaliter species furti, & species sacrilegii, an uerò vna duntaxat sacrilegii, quæ priorem veluti differentia contrahat, & malitiam furti solum contineat eminenter? *In furto sacrilego, an formaliter duplex species.*

Vtraque pars a magnis defensatur uiris, vt videre licet apud Aluarez disput. 73. in prima secundæ, & P. Vasquez disput. 53. Nobis longè probabilius, & ad aures S. Thomę afferendum videtur, in furto sacrilego, non esse duas species morales, presè, ac formaliter distinctas, ac disparatas; sed tantummodò unã, quæ coalescat ex ablatione rei alienæ, quæ quasi genus, aut materia subit, & ex circunstantia loci sacri, accedente quasi differentia, atque forma; sic omninò, quemadmodum binarius concurrit ad ternarij speciem. Quamob- *Vtraq. pars probabilis tamen probabi ius vñ ibi esse formeliter vnã tantũ speciem.*

autem quod in ternario est binarius, hoc in furto sacrilego, est furtum. & sicut in ternario non sunt formaliter duæ numerorum species, ita in furto sacrilego; & quemadmodū ibi species binarij continetur materialiter sub forma, ac specie eminētiori, hoc est ternarii, ita species furti sub forma, ac specie sacrilegij. Argumēto est, quod parricidium propriè loquendo, haud est contra quintū præceptum, *non occides*, sed contra quartum *honora patrem, & matrem*, quod est præceptum multo eminētius. Huc accedit S. Thomas, qui in quæstione secunda de malo art. 6. in hunc modum scribit, *quando circunstantia constituit speciem peccati, tanquam addens secundam malitiam, non sequitur, quod idem sit in diuersis speciebus*. & in solut. ad 12. subdit, *In illo casu nō sunt duo peccata sed vnum sicut Sortes nō est duæ substantiæ propterea quod sit homo, & animal*. Huc facit tritum illud, & iam quasi ore hominum, & vsu detritum Aristotelis effatum, ex 5. libro Ethic. cap. 2 *qui furatur propter mæchiam, magis est mæchus, quàm fur*. Sed iam vela contraho, nec modò de hac difficultate, sed de toto humanorum actuum, & circunstantiarum argumento, non addam uerbo. Hæc dicere libuit ad dilucidationem definitionis datæ a S. Thoma, quod *peccatum sit actus humanus moraliter malus*. tùm etiam, ut vniuersi huius argumenti, de peccatis, basim ac fundamentum, tametsi paucis, sed dilucidè, aut ego fallor, enucleatum haberes.

In furto, vel homicidio sacrilego, nō sunt duo peccata.

DISPV.

DISPVTATIO TERTIA

De malitia, & entitate peccati.

CAPVT PRIMVM,

Peccatum, & quemcunque actum humanum cùm in genere naturę, tùm moris spectari.

PASSIM inter Doctores repetitur, actũ humanum gemino modo perpendi; in genere naturæ, & in genere moris. Spectatur in genere naturæ, cũ præcisè quoad naturam, & entitatem suam consideratur: Spectatur in genere moris, cum accipitur respectiuè, ad rationem, libertatem, & ea, quæ in hisce fundantur, nempè actum esse capacẽ, an laudis, an uituperij; meriti, demeritiue. Conspicis hoc ex facili in actione externa, ambulatione, quæ intra naturæ limites spectata, est naturalis quędã entitas, ideſt, motus quispiam ab animante adhibitis instrumentis exercitus. Quo pacto ambulatio Petri, & Iudæ una, eademque specie continetur. Tùm eã ipsa ambulatio capi poteſt, quà ab ijsdem liberè deliberatèque proficiscitur, ad bonum prauumue finẽ deſtinata. quà ratione in Petro, & Iuda specie discrepare possunt, ut si Petrus pergat in Hortum, ut preces fundat, Iudas ut Christum prodat, ille sacras ædes adeat, ut oret, hic ut furetur, Prior ambulatio honesta eſt, laude digna, ac meritoria. Posterior, uitiosa, uituperio digna, ac demeritoria. Item quod

quod est exẽplũ S. Thom. in prima secũdæ quæst. 3. ar. 3. ad 3. interficere hominem, si actus naturam, ac substantiam spectes, in eadem specie collocatur, siue ab iudice, siue a quoquam alio priuati iuris perpetretur. Atqui nex hominis ab iudice ad conseruationem iustitiæ illata, bona ac laudabilis est, eadem contra ius, fasque inuecta, mala, & culpabilis. Vnde apparet, actus eadem specie in natura contentos, discriminari in specie moris, quia vnus est bonus, alter malus moraliter; Sic et iam ex aduerso, actus in genere naturæ diuersæ speciei, concludi eadẽ specie in genere moris. vt temperatè vesci carnibus, ouis, piscibus, quę in natura diuersa sunt, in genere moris ad eandem virtutem temperantiæ spectant.

Actus diuersæ speciei i genere naturæ, possũt esse eiusdẽ speciei in gñe moris, & e cõtra.

Quid vero? hęc ipsa moralis varietas in eodem homine, & eodem actu externo haud rarenter contingit, dum aliquis prauo animo opus aliquod, vel iter aggressus, inter agendum eundumue mutat animum, & intentionem, tunc erit eadem actio externa in genere naturę, diuersa in esse moris, ab initio culpabilis, in progressu honesta. Clarius apparet in eo, qui feria quinta prope mediam noctem incipit temperatè, & honestè carnibus vesci, & post mediam noctem in eodem actu perseuerat.

Eadẽ actio externa in asse naturæ potest esse succeßiuè bona, & mala.

Hoc idem in actu interno rimari debemus, etenim is quoque cùm in genere naturæ, tùm moris spectatur, nam dilectio Dei super omnia, & est entitas quædam, & liberè producta, ac laudabilis. Ita odiũ, intentio, &c. Vnde colligunt Theologi, vnum aliquem voluntatis actum commodè posse de vno genere in aliud transilire, hoc est, de genere naturæ ad genus moris, & versa vice. Quippe amor, vel odium, quæ omnem rationis, & voluntatis præuertunt vsum, atque consensum, sunt in genere dumtaxat naturę, cum neque actus humani

Actus interior potest transire de genere naturæ ad genus moris, & contra.

humani sint; sed potius hominis. At verò ea ipsa aduertente iam, & consentiente ratione, & voluntate, migrant ad genus morale, & laude, aut vituperio digna euadunt. E cõtra verò actus charitatis, qui in uia cùm in genere naturæ, tùm moris est, si continuetur in Patria, (id quod contradictionem haud inuoluere probati auctores asserunt) desinit esse in genere moris, & manet duntaxat in genere naturæ, cum beati in Patria non liberè, sed necessario ament Deum. De his, quæ hucusque percensui, nulla inter Doctores dissensio, iam verò

Vlterius, duplex suboritur dubitatio, Altera, Vtrũne idem actus interior possit simul esse bonus, & malus moraliter? Atque ne in limine, quod aiunt, offendas, scito, non vocari in dubium, num idem actus interior, simul queat esse bonus, & malus simpliciter, & omni modo, id enim fieri non posse, vel ex communi illo Dionysii effato cap. 4. de diuin. nomin. liquidò constat, *Bonum esse ex integra causa, malum ex quocũque defectu.* Dubium itaque est num eadem actio respectu diuersorum ex alia, atque alia parte queat simul esse bona, & mala? bona ex obiecto, mala ex fine, vel aliqua circunstantia, aut versa vice? ita ut in eadem actione associari possit bonitas, & malitia, sicuti in aqua calida simul coniunguntur calor, & frigus, & in corpore humano pulchritudo oris, & staturæ deformitas.

Affirmant aliqui ob hæc potissimùm argumẽta. Primum, Actus ex obiecto bonus, directus ad malum finẽ, vt ieiunium ad inanem gloriam, simul aspergitur bonitate, & malitia: Bonitate quidem ex obiecto proximo, a quo honestam speciẽ, & Virtutis conditionem (ieiunium quippè de se bonũ, & honestũ est) sortitur. Inficitur uerò malitia finis, quare eadem actio simul retinet bonitatem, & malitiam. Deinde ex aduerso. Eliga

Opinio, & argum. q̃d idem interior actus possit simul esse bonus, & malus.

ali-

aliquis malum medium ob honestũ, ac laudabilem finem; ut furtum ob eleemosynam, Volitio illa est mala ex medio, bona ex fine, enim uerò ex fine cum subleuatio pauperis laudabilis sit, & honesta sortitur an speciē bonam, an aliquid bonitatis tanquam ex circūstantia. Hinc in sacris litteris recensentur quędam opera ex obiecto mala, quæ quidem ex recta intentione patrata, haudquaquam culpantur. Abraham mentitus est, dùm Genes. 23. de vxore Sarra dixit, *Soror mea est.* in quo tamen eum non peccasse facilè quiuis intelliget ex D. August. lib. 22. contra Faust. cap. 24. quòd eo ad saluandam sibi vitam usus sit. Iacob mentitus est, aiens se esse Esaù; & tamen benedictionem adeptus est. Genes. 27. Obstetrices Ægypti mentitæ sunt in gratiam Iudæorum, nihilominus a Deo mercede affectæ sunt, *ædificauit enim illis Deus domos*, quia illud mendacium in bonum, & honestum finem detulerunt.

Quid uero? Sampson sese interemit, Iudicum 6. in quo quidem opere, quia populum Dei a Philisthęorum iugo eximere moliebatur, haud peccauit. Ex quibus ita struitur argumentum. Mendacium, & internicio sui ipsius, quia suaptè natura, & internè mala sunt, nusquam malitiam exuere, & cohonestari queunt, quod dises ex S. Thoma cùm sæpè alibi, tùm maximè in secunda secundę quæst. 110. art. 3. profectò in præfatis operibus inerit aliquid malitiæ, quamuis bonitas finis pręualeat.

Idem actus voluntatis neqt simul esse bonus, & mal⁹ quo vis modo.

Hæc tamen nihil officiunt, quominus absq. vlla hęsitatione asseueremus, eundem actum Voluntatis, nullo pacto posse simul esse bonum, & malum; ac proinde si infectus sit aliqua morali malitia, nullam amplius bonitatem moralem retinere: Potissima huius rei ea est ratio, quia, cum bonitas moralis desumatur ex conformitate, & cōsonantia ad rectam rationem, malitia uerò

ex contrarietate, & dissonantia ad eandem rectam rationem, tunc actio humana erit bona, cum habuerit conformitatem ad rectam rationem, tam ex obiecto, quàm ex omnibus suis circunstantijs: tunc absolutè nuncupabitur mala, cum aliquo modo huiuscemodi conformitate caruerit; siue hæc carentia proficiscatur ex obiecto, siue ex fine, seu ex quauis circunstantia: quia *bonum consurgit ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu*.

Pręterea, nam alioquin actus, quo quispiam ob inanem gloriam eleemosynam elargiri vellet, afficeretur aliqua bonitate, ratione obiecti, & aliqua malitia, ratione circunstantiæ; atque adeò coram Deo mereretur, ob illam bonitatem, quamuis demereretur ob circunstantiam. Cui tñ aduersatur illud Christi Domini, Matth. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum; qui in cælis est*.

Argumenta verò in oppositum adducta, ita diluenda sunt. Primum, Nemini in sacra Theologia inauditum est, prauam finis intentionem, quasi virulento quodam halitu inficere, ac reddere malum totũ opus: iuxta illud Christi Dñi Matth 6. & Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autẽ nequam fuerit, totũ corpus tuum tenebrosum erit*. Vbi per oculum simplicem, intelligit rectam finis intentionem, per oculum nequam, intelligit prauam intentionẽ, per corpus, opera: vt alio loco diximus ex S. Aug. Diluuntur anterioris sententiæ argumẽta.

Quando verò ex intentione finis honesti, ac laudabilis imperatur prauum, ac turpe medium, sicut cum quispiam eligit furtum ex intentione dandi eleemosynam, aut eligit mendacium, vt cuipiã conseruet vitã; tota illa actio ex omni parte mala est, quinimo intentio ipsa, quamuis sit honesti finis, quia tamen ad mala,

ac indebita media inducit, efficitur mala. Enimverò honesta intentio nunquam impellit ad agendum contra honestatem. Quare aliud est intentionem esse boni finis, aliud eam ipsam esse bonam: In præfatis operibus intentio, boni finis est: sed ea ipsa mala: non quidem ex ipso fine præcise accepto (supponimus .n. hunc esse bonum) sed ex respectu finis ad mala media. Quippè quamuis finis secundum se bonus sit, quia tamen intenditur cum ordine, seu respectu ad indebita media, intentio illius bona esse nequit. Huc spectat illud Pauli ad Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Eleganter D. Augustinus in libro contra medacium cap. 7. *Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat; sed ea, qua constat esse peccata, nullo bona causa obtentu, nullo quasi bono fine, nulla veluti bona intentione, faciēda sunt.* Et nō longo interuallo. *Quis est,* ait, *qui dicat, vt habeamus, quod demus pauperibus, faciamus furta diuitibus, aut testimonia falsa vendamus?* de qua quidem re S. Thomas in secundo sent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. & Mag. Medina in prima secundæ S. Thomæ quæst. 19. art. 7. (qui optimè etiam aperit, quomodo intentio boni finis, minuat malitiam electionis, Aluarez ibidem, Vāsquez disputat. 68. cap. 1. Caietan. in secunda secundæ quæst. 148. art. 2.

Aliud intētio boni finis, aliud intentio bona.

Iam verò, Abraham non est mentitus, ꝙ Sarrā vxorem appellarit sororem, *sed veritatem celari voluit; soror enim dicitur, quia filia patris erat:* V*nde & ipse Abraham dicit Gen. 20. verè soror mea est filia patris mei, & non matris meæ filia, quia. s. ex parte patris ei attinebat.* Verba sunt Augustini ex lib. 22. contra Faust. cap. 34 relata a S. Thoma in secūda secūdæ quæst. 110. art. 3. ad 3. Iacob verò mysticè dixit se esse Esau primogenitum Iacobi, quòd nimirum primogenitura illius

Abraham non est mētitus, sed veritatem celauit.

Iacob mysticè dixit se esse Esau

lius, de iure ei debebatur. Hoc autem ex afflatu Spiritus sanctus dixit: Ita S. Thom. loco adducto. Obstetrices autem Aegypti, neutiquam receperunt a Deo mercedem ob mendacium, quod subsecutum est, sed ob timorem Dei, quem prius conceperant: id quod peculiariter exprimitur eodem in loco, cum annectatur, *& quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis Deus domos.*

Dupliciter habere pōt efficax boni finis intētio, ad quā sequat̄ mala electio.

Dupliciter verò contingit quempiam habere intentionem efficacem boni finis, exempli causa, dandi eleemosynam. Primò ita, ut simul animaduertat sibi non suppetere opes, quibus succurrat pauperi, nisi furetur, & hanc intentionē, cum sit causa malæ electiones, asserimus esse malam. Secundò ita, vt ei, dum cogitat dare eleemosynam, suppeditent facultates, vel arbitratur sibi suppeditare, quibus inopum necessitatem subleuet, nec animaduertit ex huiuscemodi intētione, impelli ad indebita media; talis intentio non est praua. Eiusmodi erat timor Dei in obstetricibus. efficitur uerò postea mala, si eligatur malum medium, quia reiteratur intentio: vt optimè explicat Mag. Medina loco nuper allegato, & Martinus Becanus de malitia actuum internorum cap. 5. quæst. 3. nu 8.

Cur Sāpsoā non peccauit sese interimendo.

Denique, Sampsō non se interfecit auctoritate propria, sed latente quodam Spiritus sancti impulsu, ut B. quoque Apollonia sese in ignes proiecit; quare non peccauit. Ita S. Thomas in secunda secundæ quæst. 64. art. 1. ad 4. & D. August. libro primo de Ciuit. cap. 21. & cap. 36. Ex his abundè diluta, ac dilucidata manet prior difficultas; nempè nulla ratiōne fieri posse, ut idem voluntatis actus, sit bonus simul, & malus; etiam respectu diuersorum.

Posterior difficultas, An saltem successiuè idem actus interior possit esse bonus, & malus?

Negat Conradus in prima secũdæ S. Thomæ quæst. 19. art. 1. Gabriel in secundo dist. 41. quæst. vnica, & nonnulli alij. Affirmat autem S. Thomas tùm al bi, tũ articulo illo primo citato, cuius ratio hæc est. Ita se habet bonum, & malum in ordine ad actum voluntatis, sicut verum, & falsum in ordine ad actus intellectus: Atqui idem assensus intellectus, manens secũdum substantiam idem, potest successiuè esse verus, & falsus. etenim actus, quo nunc assentior N. scribere, rectéq. valere, absque vlla sui mutatione redetur falsus, si N. an scribere, an rectè valere desinat: pari itaque passu idem voluntatis actus, manens quo ad substantiam, & in genere naturæ idem, potis est successiuè bonus, & malus effici. Idem apparet in eo, qui feria quinta propè mediam noctem vult carnibus vesci, & protrahit illum eundem actum (quippe quid prohibet?) post mediam noctem. Item si sacerdos vult peragere sacrum in Ecclesia, atque in eodem actu perseueret, quamuis Ecclesia, ipso culpabiliter nesciente, interdicatur.

Idem actus interior successiuè põt esse bonus, & malus.

Vnde, id quoque rectè colligũt Theologi, bonum, & malum, haud esse differentias humanorum actuum in genere naturæ, sed tantummodo in genere moris, q̃ habetur ex S. Thoma quæst. 2. de malo art. 6. ad 3. Et in prima parte quæst. 48. art. 1. ad 2. Et in prima secundæ quæst. 18. art. 7. ad 1. & quæst. 19. artic. 1. Super qua re adeundi sunt Caietanus, Medina, & Aluarez.

Bonum, & malum sũt differentiæ humanorũ actuum nõ in genere naturæ, sed moris.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit malitia moralis peccati, positiuum ne aliquid, an priuatiuum?

CElebris est in Theologorũ Lycæo hæc disceptatio, & iàm eò multorum contentione perducta, dum quisque argumentorum ambages serere, & suam sectam pro virili parte asserere enititur, vt ex ea, tanquam e scrupulosis cotibus, vix possit oratio, & ratio ipsa enauigare. Ne verò de portu (quod aiunt) egredientes impingamus, secernenda sunt ea, de quibus inter omnes conuenit, & exponendum, in quo rei vertitur cardo. Difficultas huius rei.

Conuenit inter omnes, malũ generatim esse duplex, naturale, vt cæcitas: morale, vt furtum. *Malum enim aliud est quantum ad nostrum sensum, vt morbi, vulnera, & alia huiusmodi; aliud quantum ad sui ipsius naturam, vt iniustitia, & alia praua affectiones, quę imaginẽ Dei contaminant;* inquit D. Basilius homil. *quod Deus non est auctor malorũ*. Illud formaliter nil aliud est, quàm priuatio, *& absentia boni;* vt auctor est S. Thomas in prima parte. quæst. 48. art. 1. perinde ac tenebræ sũt priuatio lucis. Quo pacto malum, attestante D. Dionysio cap. 4. de diuin. nom. est quiddam non existens; neque bonum. Quippè hoc malum, neq. cõuenientiam, & consonantiam, neque dissonantiam habet in ordine ad rectam rationem. Hoc in scholis nuncupatur malũ simpliciter. Morale autem malum est, id qđ actum humanum inficit, & reddit peccaminosum, de quo in præsens verba facimus. Malũ aliud nãle, aliud morale, & quid vtrũq. Quid malũ simpliciter

Conuenit præterea, malum morale non modò in actu voluntatis, & peccato commissionis reperiri, sed in

omis-

omiſſione etiam actus. Æquè n. contra rectam rationem eſt, velle aliquid, quod turpe, ac prohibitum ſit; ac non velle, quod honeſtum, ac præceptum ſit.

Poſtremò conuenit, hìc controuerti duntaxat de peccato actuali commiſſionis, non verò omiſſionis. Quippè cum omiſſio in ſua eſſentia, & ratione nullum claudat actum, vt ſuo tempore docebimus; procul dubio aliena eſt ab omni malitia poſitiua. Controuerſia igitur eſt de ſolo peccato commiſſionis. Vtrumne hoc ſecundum ſuam rationem formalem, ſit aliqua natura poſitiua, an potius priuatio boni moralis? ſeu priuatio debitæ rectitudinis? id quod neſcio qui, hoc verborum tenore proponunt: Vtrum ſit magis de ratione peccati inordinatio poſitiua, an verò priuatiua? quod eſt quærere, num ſit magis de ratione peccati conuerſio inordinata, an auerſio? quæ omnia vnum & idem pollent, nimirum quid ſit malitia illa moralis, ob quã actus humanus efficitur malus.

Pũctus difficultatis.

Prima opinio eorum eſt, qui putant, peccatum pro formali eſſe priuationem, & pro materiali duntaxat eſſe quippiam poſitiuum, contrariè actui virtutis oppoſitum. Ita D. Bonauent. in ſecundo diſtinct. 34. art. 2. quæſt. 3. Riccard. ibidem quæſt 1. Durand. diſtin. 35. q. 2. Gabriel in eadem diſt. quæſt. vnica, Alenſis, Marſilius, Henricus huc nonnulli recentiorum iuere, Gregor. de Valentia in prima ſecundæ diſput. 2. quæſt 13. puncto 3. Et diſp. 6. quæſt. 1. puncto 2. Salas tom. ſecundo tract. 13. diſp. 2. ſect. 3. Becanus in parte ſecũda tract. 1. quæſt. 1. P. Onuphrius tract. 1 de peccatis diſp. 1. q. 2.

Eorũ opinio, qui formale peccati aſſerũt eſſe priuatiuum, & ſolum pro materiali, aliquid poſitiuum.

Pro hac ſententia citatur etiam (ſi Deo placet) S. Thomas, & quàm multa eius effata conglomerantur; potiſſimùm verò quia in ſecundo diſt. 35. q. 3. ar. 2. conceptis verbis dicat *quod formale in peccato, ex quo habet rationem mali, eſt priuatio.* Et in quarto diſt. 16. quæſt. 3.

art.

art. 2. *malum*, ait, *pro formali, est priuatio boni, & quidã defectus*. Quod si cui hæc testimonia non satisfecerint, quasi S. Doctor iam ætate, & doctrina prouectus, in summa de hac sententia discessisset, occurrit tertius locus ex prima secundæ quæst. 109. artic. 2. ad 2. vbi ait, *peccare nihil aliud esse, quàm deficere a bono, quod conuenit alicui secundum suam naturam*. Quid vero? in tertia par. quæst. 86. art. 4. ad 1. ad hæc omninò scribit. *culpa mortalis habet, & auersionem a Deo, & conuersionẽ ad bonum creatum; sed auersio a Deo, est ibi sicut formale, cõuersio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale.*

Secundo loco sistunt alij, inter quos est Ferrariensis in tertio Cont. Gen. cap. 9 qui opinantur, formale peccati, nec esse meram priuationem, nec aliquid positiuũ; sed priuationem in natura positiua, vel naturam positiuam, qua intrinsecè claudat priuationem, ità, vt ratio & essentia peccati, conflետur ex hisce duobus.

Alij denique asserunt, malitiam moralem, seu peccatum secundum suam rationem formalem, esse naturam aliquam positiuam, contrariè actui virtutis, & legi diuinæ oppositam. Ita Caietanus in prima secundæ S. Thomæ quæst. 18. art. 5. & quæst. 71. art. 6. Mag. Medina, & Aluarez ibidem, Bannes in prima parte S. Thomæ quæst. 48. art. 1. & quæst. 49. artic. 2. Zumel. in articulo 6. citato disp. 5. 6. & 7. Vasquez disp. 95. cap. 9. 10. & 11. atq; cõplures alij: Et procul dubiò est germana mens S. Thomę.

Quæ vt penitus aperiatur, oportet animaduertere primò, malum morale, de quo sermo instat, non esse malum simpliciter, sed respectiuè, hoc est, malum naturæ rationalis: quippè cum eius bonum in eo positum sit, vt cum recta ratione consentiat, (hoc enim consonat cũ eius forma, quæ est rationalis) malũ erit, quidquid rectæ rationi aduersatur. Peccatum autem, & malum mora-

Malum morale nõ est malũ simpliciter, sed malum naturæ rationalis.

morale,vt iam docuimus,est huiusmodi:

Vt ergo frigus ad ignem, calor ad aquam, dolor ad sensum, error ad intellectum se habet; ita malum morale respectu hominis: Et quemadmodum illa in se spectata, & entia positiua, & bona quædam sunt, mala autem ijs, quibus aduersantur, & corrumpunt; ita malum morale in semetipso consideratum, positiuum aliquid, & bonum est, malum autem homini: Cuius quidem rei ecquem vnquam locupletiorem citare testem possum, quàm S. Thomam? is in tertio lib. Cōt. Gen. cap. 9. hæc omninò habet. *Contingit, quod est malum vni, esse bonum alteri, & ideò nec malum secundum quod est differentia specifica in genere moralium, importat aliquid, quod sit secundum essentiam suam malum, sed aliquid, quod secundum se* (audis?) *bonum est, malum autem homini, in quantum priuat ordine rationis, quod est hominis bonum.* Idē sæpè alibi repetit, maximè verò in prima par. q. 48. art. 1. ad 2. & 3. Quod hercle vnū sufficeret, ad id quod in quæstione vertitur, affatim cō probandū; tamen, quò id testatius, & confirmatius sit.

Hoc etiam animaduerte; malum morale, seu peccatum, cum includat auersionem a bono incommutabili, & conuersionem ad bonum commutabile, ratione auersionis, est malum simpliciter, & mera priuatio: ratione verò conuersionis, ponitur in genere mali moralis; & in hac, vel illa specie peccati. Hoc etiam legimus apud S. Doctorem in prima secundæ quęst. 72. arti. 9. ad 1. quo loci habet. *Malum in quantum huiusmodi priuatio est; & ideò diuersificatur specie secundum ea, qua priuantur, sicut & cætera priuationes: sed peccatum non sortitur speciem ex parte priuationis, vel auersionis, sed ex conuersione ad obiectum actus.* Et ratio in promptu suppetit, quia cum specifica differentia humanorum actuum omninò capiatur ex obiecto, &

Peccatum rōne auersionis est malum, simpliciter, ratione cōuersionis malū morale, & in hac, vel illa specie peccati.

habi

habitudine ad illud, vt auctor est S. Thomas in eadem parte quæst. 18. art. 2. ad 3. & art. 4. ad 2. species quoq. v.g. furti sumetur ex habitudine, & conuersione ad obiectum furti.

Hinc colligitur, in quouis peccato geminam malitiam distingui oportere. Alteram positiuam; quæ ex conuersione ad bonum commutabile hauriatur, contrariè actui virtutis opponatur, & peccatum, vna aliqua in specie v. g. intemperantiæ constituat. Alteram esse priuatiuam, ob quam malum morale, attinet ad genus mali simpliciter; quæ quidem oritur ex auersione. Hic etiam me minimè temperare possum, quin huic rei adstipulatorem adscriptoremque producam S. Thomam, cuius hæc sunt verba in secunda secundæ quæst. 10. art. 5. ad 1. Quæ rem hanc, non asserunt modò, sed apprimè etiam illustrant. *Formalis ratio alicuius peccati, potest accipi dupliciter. Vno modo secundum intentionem peccantis, & secundum hoc, id, ad quod conuertitur peccans, est formale obiectum peccati, & ex hoc diuersificantur eius species: Alio modo secundum rationem mali, & sic illud bonum, a quo receditur, est formale obiectum peccati, sed ex hac parte peccatum non habet speciem, immò est priuatio speciei. &c.* Ex quibus habes, formale peccati, seu malitiam, inesse peccato vtraque ex parte, & quomodo.

In quouis peccato duplex malitia, priuatiua, & positiua.

Vtraque hæc peccati malitia, priuatiua, & positiua exprimitur illis verbis Hieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Gemina verò hæc malitia, in peccato ordine quodam inest, ita, vt positiua prius natura intelligatur, quàm priuatiua. Nec immeritò, quia prius aliquid debet esse in se ens, quàm vt priuationem anne-

In peccato prius natura intelligitur malitia positiua, quã priuatiua.

tam sibi; respectu alterius habeat. Ea propter in peccato v. g. iniustitiæ, priùs natura rimamur malitiam positiuam, contrariè oppositam rectitudini actus virtutis Iustitiæ, in qua sita est ratio formalis, & specifica iniustitiæ, ad quam deinde, ob contrarietatē, actus iniustitiæ cum actu iustitiæ, consequitur malitia priuatiua; seu priuatio rectitudinis. Atque adeò tota peccati commissionis ratio, ac species intelligitur antequā auersio a Deo, & priuatio rectitudinis actus virtutis oppositæ intelligatur: eòque est formaliter aliquid positiuum.

Ratio, & species peccati commissionis intelligitur prius quam intelligatur auersio a Deo.

Ex his, rem hanc, suapte natura, & conditione obscurā, iamque acri ac varia multorum contentione, longè obscuriorem effectam, non modò, (aut nos omnia fallunt) dilucidatam, sed probatam etiam habes. Enimuerò, si, vt primo loco dicebamus, malum morale non est malum simpliciter, sed malum naturæ rationalis, in se autem, & ens, & bonum; vt calor secundum se ens, & bonum: malum autem aquæ, quòd eam destruat, & contrarietur frigiditati, quæ est eius perfectio naturalis, iam vtique formaliter erit aliqua natura positiua: Si ratione conuersionis sortitur speciem moralem, ergo formaliter est aliquid positiuum: Si in eo, præter malitiam priuatiuam, inest alia positiua, iam hoc ipsum est, quod quæritur; Veruntamen quò magis hęc veritas appareat, sit.

CAPVT TERTIVM.

Confirmatio præfatæ sententiæ cùm ex S. Thoma, tùm ex re ipsa.

QVam hucusque pro tenuitate ingenij nostri enucleauimus sententiam, germanam esse Angelici Doctoris, eius filij enixè deosculantur: a quibus quam plurima huius viri sancti testimonia ad eam comprobandã congerũtur, Equidẽ more, ac instituto meo, vnũ aut alterum prodam. Itaque in capite septimo, tertij libri contra Gentes, constituit S. Doctor vniuersim hãc assertionem, *malum simpliciter est priuatio*. Tùm in capite sequenti multa, diuini ingenii vir, argumenta, suo more, iam sancitæ conclusioni obiecit, inter quæ hoc adhibuit: Peccatum est quiddam positiuum: peccatum est malum, malum igitur haud erit priuatio. Postremò in capite nono, quò confecta argumenta dilueret, discrimen inter malum simpliciter, & malum morale cõstituit, quòd malum simpliciter, est non ens, seu priuatio entis, malum autem morale absolutè loquendo, habet essentiam, & est quiddam positiuum, contrarium rationi: respectu verò creaturę rationalis, est malum.

Item, in prima secundæ quæst. 79. art. 2. ad 3 *actus*, inquit, *peccati, non recipit speciem ex ipsa priuatione, in qua consistit ratio mali, sed ex aliquo obiecto, cui coniungitur talis priuatio*. Ex quo infert priuationem, ac defectum pertinere ad speciem peccati consequenter, non autem veluti differentiam. Et in quæst. 72. cum peccata secerni specie asseruisset ex parte conuersionis, nõ autem ex parte auersionis, aut priuationis, huius rei hanc attulit rationem, *quia auersio, habet se per accidens ad intentionem peccantis*; Quid ita? quia nemo

Species rei sumi debet ex eo, quod est per se, nõ ex eo, quod est secundũ accidens: cõuersio i peccato est per se, auersio p accidens.

ad malum intendens operatur: Vnumquodque autem sortitur speciem secundum illud, quod est per se, non autem secundum id, quod ei inest ex accidenti. Idem repetit arti. 6. 8. & 9. eiusdem quæstionis, & quæst. 73. art. 1. & sexcentis alijs in locis. Quare nullus ambigendi relinquitur locus, quominus S. Thomas ex animo tenuerit formale peccati, seu malitiam moralem esse aliquid positiuum.

Accedunt magni pensi, ac ponderis rationes, Prima huiuscemodi est. Quęcunque opponũtur contrariè, sũt vera, ac positiua entia, quòd contraria ea sint, quę maximè sub eodem genere distant, seq; mutuò ab eodem susceptibili expellunt. Peccatum v. g. iniustitiæ, & actus iustitiæ contrariè opponuntur. Quod ita suadetur, Primò, habitus iustitiæ, & iniustitiæ, sunt contrarii, vt cõsensu omnium comprobatur, ergo & actus eorum, a quibus illi specificantur, (habitus n. per actus, & hi per obiecta sortiuntur speciem, ac distinctionem) erunt contrarii. Deinde, peccatum iniustitiæ sæpenumerò repetitum, uerè & effectiuè gignit habitum iniustitiæ, exterminatque ab eodem subiecto contrarium habitũ, erit igitur natura aliqua positiua; cum priuatio, & nihil nequeat quicquam efficere, contrariumue expellere: quia nihil effectiuè agit, nisi secundum quod est actu. Ad extremum, quia Stagirites in capite de qualitate, & in capite de oppositis luculenter ostendit, bonum, & malum esse contraria, ergo sicut bonum formaliter est natura quædam positiua, ita malum morale formaliter erit aliquid positiuum: in se quidem ens, & bonum; malum autem homini. vt sæpiùs dictum est.

Obuiã itur ab aduersarijs.

His obuiam occurrere enituntur, primæ sententiæ fautores, aientes, S. Thomam, Aristotelem, & si vis, rationes quoque a nobis constructas, intelligere, ac locum habere de materiali peccati; nempè de ipso actu

malo

malo; non autem de formali, & ipsa malitia morali. Ille contrariè opponitur actui bono, ideòque verè est quoddam ens. Hæc non opponitur contrariè, sed priuatiuè eidem actui bono: quo circa non erit quicquam positiuum, sed priuatiuum. Addunt, peccata distingui specie, non ex ipsa malitia, & formali peccati, sed ex materiali, & denominatiuè. Vnde non sequitur malitiam debere constitui positiuam.

Verùm hoc responsum ægerrimè ferunt discipuli S. Thomæ, Quippè cum S. Doctor locis commemoratis; maximè verò in prima secundæ quæst. 72. ex instituto specificam peccatorum distinctionem scrutetur, procul dubio, de peccatis formaliter, verba facit; vt tantum ac talem virum decebat; Absona verò, & deridenda foret doctrina eius, si de peccatis materialiter intelligeret: Quemadmodum exsibilandus esset, quicunq. assereret album, & nigrum differre specie, & sentiret de specie sumpta materialiter, ac denominatiuè, hoc est, de subiectis albi, & nigri. Quippè subiecta, nunc quidem eiusdem speciei sunt, vt Petrus albus, & Paulus niger, aliquando diuersa specie, vt homo albus, & canis niger nonnunquam genere, vt homo albus, & lapis niger. Quare nec S. Thomas, nec Philosophus intelligunt de peccatis materialiter acceptis, sed verè ac formaliter. Rejciuntur tamen.

Hinc doctissimus æquè, ac piissimus vir Caietanus, in prima secundæ S. Thomæ quæst. 18. art. 5. hac de re, magna cum trepidatione ait, se nunquàm concessurum fuisse, nisi prius concessisset S. Thomas in prima parte quæst. 48. art. 1. ad 2. & tertiò cont. Genet. cap. 9. malum morale, esse aliquam naturam positiuam, & aliquod bonum in se, licet sit malum homini: quemadmodum forma mortui in se quoddam bonum est, sed malum rei viuenti. Quare quicunque in doctrina S. Thomæ secus opinantur, omnino Sisyphi saxum voluunt.

Hac

Hac etiam ratione vrgere lubet. pro qua scito, quod in peccato v.g. iniustitiæ hæc tria spectanda sunt. Primum aliquid, ceu genericum, actus nimirum voluntarius, & ipsum peccati materiale. Secundum, forma quædam contraria iustitiæ, idest, forma iniustitiæ (hoc aduersarii omninò inficiantur) quæ perinde contrariatur iustitiæ, atque candor nigrori. Tertium, est priuatio rectitudinis debitæ illi actui, ac deuiatio à norma, regulaque iustitiæ.

In quouis peccato tria spectantur, & quæ ea sint.

Quo adnotato sic arguo. Peccata inuicem specie secernuntur, & collocantur in certis speciebus; quippè furtum specie differt a fornicatione. Nequeunt verò discriminari ab ipso materiali, & actu voluntario: quia hic est quiddam commune, & genericum; non secus atque album, & nigrum minimè differunt specie a corpore, cui inhærent. Præterquam quod, species rerum sunt contrariæ; Atqui furtum non est contrarium fornicationi, ratione actus voluntarii, cum hic æquè reperiatur in utroque. Nec etiam distingui possunt ex priuatione rectitudinis debitæ inesse, tùm quia priuatio nec vllam habet essentiã, nec in vlla specie collocatur, cum potius sit priuatio, absentiaque essentiæ, ac speciei: Tùm, quia si peccata essentialiter, ac specie distinguerentur ex priuatione, liquidò consequitur, timiditatem, & audaciam, prodigalitatem, & auaritiam, idque genus alia extrema, eiusdem esse speciei: quia priuationes formaliter non habent speciem, sed reducuntur ad speciem illius actus, vel formæ, qua priuant, & distinguuntur specie ex eodem actu, vel forma: ut est in Philosophia pertritum, Actus autem, seu forma, qua priuat prodigalitas, & auaritia, est una specie, hoc est, rectitudo liberalitatis: Siquidem prodigalitas recedit a medio, in quo Virtus posita est. per excessum, auaritia; exedit per defectum. Si igitur prodigalitas, & auaritia sitæ, ac positæ essent in priuatione, neutiquam forent

Peccata nõ distinguuntur specie ex materiali.

Non ex priuatione debitæ inesse.

rent

rent peccata diuersa specie, sed ad eandem omninò speciem reducerentur. Quod non modò Philosophus, sed communis omnium hominum sensus damnat. Itaque si specifica peccatorum distinctio, neq. ex actu uolūtario, & ipso substrato, ac materiali peccati, neq. ex priuatione debitæ rectitudinis hauriri potest; reliquum est, vt a forma illa (quam secundo loco recensebamus) positiua, & actui virtutis oppositæ contraria, depromatur, & illa forma est malitia moralis.

Quemadmodum igitur, vt exemplo rem illustrem, in rebus naturalibus corpus mortuum a viuo specie differt, non ob priuationem vitæ, quæ in corpore, sensu ac vita carente inest, sed ob formam cadaueris, quæ procul dubio natura quæpiam positiua est, & in se se bona; mala autem corpori viuo; Et quemadmodum irrationale (quod est exemplum S. Thomæ 3. contra Gent. cap. 9. est constitutiua differentia bruti animantis, non propter priuationem rationis, sed ratione talis naturæ positiuæ, ad quam consequitur amotio rationis, sic in moralibus, prodigalitas v. g. specie secernitur a liberalitate, non quia illa sit priuatio liberalitatis, sed quia induta est qualitate quadam positiua, quæ ex obiecto per se intento depromitur; cui quidem annexa est priuatio alterius boni, quod est in liberalitate: perinde ac formę cadaueris annexa est priuatio vitæ. Quibus omnibus hoc adiunge ex Mag. Medina; Si peccatum formaliter esset priuatio, sacerdos, cum absoluit, & remittit peccata; propriè nec absolueret, nec remitteret: siquidem priuatio est nihil; ipsum verò nihil, quo pacto tolli, aut remitti potest? Et Deus, pater misericordiarum, & totius consolationis fons, infligeret ne peccatori æternam pœnam, ob nihil?

Optimum exemplum quo hęc res declaratur

Ex his, quæ hucusque edisseruimus euinces quoque, peccatū, in sua ratione præcisè haud includere ex æquo priuationem, & naturam positiuam, vt altera rebatur

opi-

opinio; maximè quia peccatum formaliter esset quoddam aggregatum, atque adeò in vna aliqua specie minimè posset collocari, cum in peccato malitia moralis, quæ est quoddam absolutum, intelligatur in eo, prius natura, quàm priuatio.

Responsio ad loca S. Thomæ pro prima opinione adducta.

Hinc liquidò cognoscitur, nūquam S. Thomam oppositę sententiæ adhæsisse: nam in duobus illis locis ex libris sententiarum depromptis, loquitur manifestè de malo, vt malū est: Vel de malo morali, vt est in genere mali simpliciter. Hac enim ratione eius formalis ratio sita est in priuatione, vt dudum docuimus: ita Caietanus in secunda secundæ quæst. 10. art. 3. & quæst. 118. art. 5. Sic exponendi sunt Patres, cum aliquando peccatum appellant priuationem, & nihil: vt August. cum sępè, maximè verò in Soliloq. cap. 4. & 5. peccatum, ait esse illud nihil, de quo Ioan. 1. scribitur, *& sine ipso factum est nihil.* Sermonem habent de peccato, vt est malū simpliciter, nō vt morale. Vel quia priuatio est quasi complementū, & propria passio peccati, iccirco ab vltimo complemento, totum peccatum vocitant priuationem. Vel denique, verba faciunt de peccato, in quantum est mortale, peccatum enim constituitur mortale per auersionem a Deo, & priuationem gratiæ, & in hoc secernitur a veniali, circa idem obiectum commisso. nā furtum mortale auertit ab vltimo fine, non item veniale, vt suo tempore dicemus.

Deficimus ab aliquo per actū positiuum contrarium.

Cum verò S. Thomas asserit, *peccare, nihil aliud esse, quàm deficere a bono*, procul dubio intelligit deficere contrariè, non priuatiuè: sicut album deficit a nigro, inquit Aluarez. Quid enim? latinè dicimus deficere, pro eo, quod est desciscere, atque in aduersam partem migrare: Sallustius de bello Iugurt. *quod Opidū primùm omnium ab rege defecerat*, Tullius in Catil. *qui a Republica deficiunt, Ciuiūm iura non tenent*, indidem bo-

rii auctores, eos appellāt defectores, qui de vno aliquo exercitu ad alium transfugiunt. sic peccator ab regno Dei, ad regnum diaboli deficit.

Quod si obijcias, si peccatum formaliter est natura quæpiam positiua, & in se bona, quamuis noxia, ac mala rationali creaturæ, erit igitur a Deo; cum quæcunque natura positiua, quæcunque entitas, a Deo sit: quia quidquid est per accidens tale, est ab eo, quod est per se tale: & Deus est per essentiam entitas, reliqua verò omnia, sunt per participationem. Atqui hoc pia ac sana doctrina, summa cum ratione abhorrescit, quia *Deus neminem supplantat.* ergo &c.

S. Thomas in secundo sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. nos admonuit, esse in hac materia propositiones quasdam omninò uitandas: cuiusmodi sunt; Deus est causa peccati, Deus est causa mali moralis &c. quæ istę, vt iacent, absolutè sunt contra fidem. Esse nihilominus quasdam alias, quæ concedi queant; vt Deus est causa peccati in quantum actio, in quantum ens, &c. Quam quidem doctrinam egregiè prosequitur inter alios Aluarez. in prima secundæ disput. 128. in responsione ad 3. Et in lib. de Auxilijs disput. 18. & disput. 24. quibus in locis abundè ostendit, quonam pacto, & si Deus præmouet voluntatem nostram ad actum peccati, in quantum actus est, non inde possit inferri, Deum esse causam peccati. De qua re nos etiam infra Tractatu quarto, dū de causis peccati agemus, pleniori stylo id ipsum prosequemur.

Sicut huiusmodi ppositiones, Deus est causa peccati, in quātū actio, vel in quantū ens est, cōcedi possunt; ita istę omninò uitandæ sunt, Deus est cā peccati, vel mali moralis.

Interea, Ad argumentum dicimus, Deum esse quidem causam speciei positiuæ peccati, quà est quædam natura positiua, & quædam species, & quà habet rationem entis. Non esse verò causam eiusdem entitatis, quà est auersiua a Deo, & a rectitudine virtutis, nec denique, quà est deficiens. Enimuerò

cum Deus Opt. Max. sit primum efficiens, nemini vnquam esse potest causa deficiendi; sed duntaxat efficiendi. Et cum sit summa bonitas, omniaque, vt auctor est D. Dionys. cap. 2. de Diuin. nomin. in suum amorem, seque ipsum conuertat, nemini, vt a se auertatur, causa constitui potest. Postremò, cum Deus sit ipsamet ratio simpliciter, & prima regula rationis, haud vnquam esse potest causa, quamobrem quicquam a bono, rectoque tramite rationis, auertatur. Itaque peccatum, quà est auersiuum a Deo, ac deficiens, referri debet in causam secundam, deficientem, hoc est, in nostram uoluntatem, & nullo pacto in Deũ; ita Aluarez Disputatione illa 128. ad 3. Mag. autem Medina alias tres huius argumenti adhibuit solutiones, in prima secundæ itidẽ S. Thomæ quæst. 71. ar. 6. in responsione ad 5. Verùm de hac re infra, ut innui, nunc sit.

DISPVTATIO QVARTA.

De infinitate peccati.

CAPVT PRIMVM.

Peccatum vario respectu consideratum: tùm, qua ratione id ipsum est finitum, qua verò infinitum obiectiuè.

PECCATVM multifariam vsurpatur; Primò, in genere naturæ, seu entis: de quo vbertim, ac pleno stylo iã diximus. Qua ratione nemo Theologorum ambigit, quominus absolutè sit quicpiam finitum. Verumenimuerò solus Deus teroptimus Maximus in hoc genere gaudet infinitate. Vnde satisfactio quoque Christi Domini, vt in tertia parte S. Thomæ docemur, hac ratione finita est. Quid enim? si peccatum in genere physico esset infinitum, procul dubio foret summum malum; quod fieri non posse, demonstrat S. Thomas in prima parte quæst. 49. art. 3. quia, *si malum integrum sit, seipsum destruet*, inquit S. Augustinus in Enchirid. cap. 5. & in cap. 14. *mala*, ait, *omninò sine bonis, & nisi in bono, esse non possunt.*

Peccatum in esse naturæ finitum est

Capitur secundò, vt malum morale: Hac etiam ratione primò perpenditur quoad conuersionem ad bonũ, cõmutabile; & finitũ etiã est, auctore S. Thoma in prima secundæ quæst. 87. art. 4. quo loci, *ex parte*, ait, *inordinatæ conuersionis ad bonum commutabile, pec-*

Peccatũ, ratione conuersionis ad bonum cõmutabile, finitum est.

catum finitum est: quia ipsum commutabile bonum, finitum est: & quia ipsa conuersio est finita, non n possunt esse actus creaturæ infiniti. Ad hæc, consideratur vt est malum illius hominis, qui peccat; idque gemino modo: quia auertit eum ab ordine rectæ rationis, & quia diuellit a Deo, ad quem adhærescere bonum est, iuxta illud Psal. 72. *mihi autem adhærere Deo bonũ est.* Postremò capitur, vt malum offensiuum Dei. itaq.

Peccatum vt auertit hominem a recta ratione, finitũ est.

Peccatum, quà est malum peccantis, amouens, auertensque eum ab ordine, & tramite rationis, adhuc est finitum etiam in genere moris. Ratio in promptu suppetit: quia peccatum v.g. intemperantiæ, ea ex parte, quà auertit hominem ab orbita rationis, non inficitur maiori malitia, quã sit moralis bonitas in actu opposito, nempè temperantiæ, vt multis aperit S. Thomas in prima secundæ quæst. 73. art. 3. Atqui in actu temperantiæ haud est bonitas moralis infinita, neque igitur actus intemperantiæ, prout a tramite rationis exorbitat, erit infectus malitia infinita. Quia priuationis quantitas, vt in Philosophia notum est, pensitatur ex quantitate actus, ac formę, qua priuat; neque enim maius ac deterius malum est cæcitas, quã bonum, & optabile est visus, quo illa orbat: si itaque peccatum, hoc respectu priuat hominem re finita, nempè rectitudine rationis, nequit, nisi finitum esse.

Peccatũ, vt auertit hominẽ a Deo, est infinitũ, sed tñ solũ obiectiue.

Ad extremum, peccatum mortale, quà est malum hominis, auertens eum ab incommutabili bono, Deo, est malum infinitum, sed non malitia simpliciter infinita, sed tantum obiectiua, & extrinseca.

Prior pars, asseritur a S. Thoma in parte commemorata quæst. 87. art. 4. vbi *in peccato*, ait, *duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, Vnde ex hac parte peccatum est infinitum.* Nec cuiquam dubium est, quin sit infinitum malum, si priuat infinito bono. Verùm

Verùm infinitate duntaxat extrinseca, & obiectiua, vt posterior affirmat pars. Nā quemadmodum bonum diuinum, a quo per peccatū homo diuellitur, quoq. orbatur, est in se simpliciter infinitum; ita idem ipsum bonum diuinum, ad quod per actum charitatis homo cōuertitur, & acquirit, omninò infinitū est; At conuersio hominis ad Deū ex affectu charitatis, non est simpliciter bonum hominis infinitum, sed forinsecus duntaxat, & obiectiuè, nec igitur peccatum, quà hominem ab incommutabili, & infinito bono distrahit, erit malū eius simpliciter infinitum; sed secundū quid, & obiectiuè.

Huc accedit, actus charitatis, aut beatificę visionis, ob id ipsū nō est bonū hominis internè, ac simpliciter infinitum, quia, tametsi attingit Deum in se, bonum infinitum, non tamen attingit modo infinito: nec enim creatura, an amare, an cognoscere Deum potest, quantum ille amari, & cognosci potest: ita peccatum, quamuis amoueat hominem a Deo, infinito bono, minimè tamen amouet modo infinito. Quid ita? quia homo in dies, quinimmo in momēta, longè maiora, ac fędiora scelera perpetrare valet: atque magis, magisq. elongari amouerique a Deo, ex quo fit, ut peccatum neutiquam sit malum hominis simpliciter infinitum, quia infinitum, non est infinito maius.

Postremò, pœna damni respondet in peccato auersioni a bono incommutabili, sicuti pæna sensus conuersioni ad bonum commutabile; auctore S. Thoma in prima secundæ quæst. 87. art. 4. & secunda secundę quæst. 79. art. 4. Pœna autem damni non est ęqualis in damnatis, alioquin omnes in pœna essentiali essent pares, etenim vt in suprema fælicitate, beati ob diuersa merita essentialiter differunt, *vt stella differt a stella in claritate*, sic in damnatis ob varietatem scelerum, varia infligitur pœna, alia major, alia minor:

Pæna dāni respondet in peccatò auersioni a bono incōmutabili; pœna autē sēsus, cōuersioni ad bonum commutabile.

minor: Quare etiam malitia diuellens eos a bono incommutabili, erit in ijs alia maior, alia minor; atquè adeò internè finita, ex obiecto verò infinita.

Humanitas Chri,B. Virgo,& beata visio hent, quandam infinitatem ex bono infinito, cui coniunguntur, sic e cõtrario peccatum.

Vt ergo humanitas Christi D. ex eo quod est vnita Deo, Et beata Virgo ex hoc, quod est mater Dei, tùm beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, *habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus.* vt tradit S. Thomas in prima parte quęst. 25. art. 6. ad 3. sic e regione peccatum mortale, vt amouet hominem a bono infinito, est quidem malum infinitum, sed tantũ ex obiecto. De hisce inter Doctores dissensio nulla: Verùm acriter disceptatur de postrema peccati acceptione: num videlicet, ut offensa Dei, & malum diuinæ maiestati intentatum, sit in se, ac simpliciter infinitum malum morale. Hoc accurata trutina perpendemus, vbi prius uiderimus, quot modis peccatum auertat hominem ab incommutabili bono, Deo? quare sit.

CAPVT SECVNDVM

Quot modis peccatum mortale auertat hominem a Deo?

QVinque potissimùm: ut ab vltimo fine, ut a primo rerum omnium principio, ut a prouidente, legum latore, & amico.

Peccatum mortale auertit hominem ab vltimo fine

Auertit ab vltimo fine, quia cum Deus Opt. Max. sit hominis, humanarum actionum, omniumque creaturarum finis vltimus, quod luculentè sacræ paginæ attestantur, Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est altissimus.* & Dionysius cap. 2. de diuin. nomin. *omnia, quæ operatur Deus, conuertit in seipsum, & in suum amorem.* & demonstrat S. Thomas cùm sæpè alibi, tũ præcipuè in tertio cont. Gent. a capite 17. vsq.

ad

ad 23. & de Veritate quæst. 22. art. 2. peccatum mortale auertit ab eiusmodi fine peccantem; quia quicunque lethaliter peccat, figit sibi, collocatq. vltimum finem in creatura.

Quod verum esse, vel paucis hisce euinces. Ad Philip 3. habetur de ijs, qui ventri, & abdomini inseruiũt, *quorum Deus venter est*. ad Ephes. 5. auaritia nuncupatur *idolorum seruitus*. omninò adeundus est, Chrysostomus cùm super hisce locis, tùm homil. 18. in primam epist. ad Timotheũ. Hinc iure optimo queritur Deus, dum Hieremiæ 2. *Duo*, ait, *mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Scitè, & eleganter Hieronymus in Psal. 80. ad hæc omninò scribit. Cui Deus venter est, ei Deus recens est, quæcunque uitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos, iratus sum, ira mihi Deus est, vidi mulierem, & concupiuj, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit, & ueneratur, hoc illi Deus. Et ratio quoque Theologica in manu est: nam omnis actio humana ad ultimum aliquem finem destinatur. Peccatum mortale in Deũ, ueluti ultimum finem, ferri ac destinari nequit; secus n. ab eo sumeret bonitatẽ; habet igitur pro ultimo fine creaturam.

Quicunq; mortaliter peccat, ponit vltimũ finem in creatura.

Quæ omnia ut adhuc intelligantur, scito ex Mag. Medina in prima secundæ S. Thomę quęst. 1. art. 5. gemino modo contingere, aliquem collocare ultimum finem in creatura: Vno quìdẽ ita, ut hoc iudicium intellectus præuertat, colloco fęlicitatem meam in creatura, quod quidem iudicium speculatiuum non habet, quicunque lethaliter peccat: alioquin foret hęreticus, ac infidelis. Secundò, id euenit practicè, cùm peccator operibus ipsis, spreto Deo, eiusque amicitia (*nemo enim potest seruire Deo, ac Mammonæ*) amplectitur creaturã, camq.

Duplici modo intelligi potest, vltimũ finem poni in creatura

eã q. pluris, quã Deum facit, aut formaliter, ut ille, qui ex certa, quod aiunt, malitia peccat, aut virtute, ac interpretatiuè. Huc spectat illud Ioan. 12. *Multi ex principibus, non audebant Christum confiteri, ne extra Synagogam fierent*. vnde colligit Christus, eos pluris hominum, quàm Dei gloriam existimauisse, quocirca hæc consecutio necessaria est, N. peccat mortaliter, ergo plus creaturam, quàm Deum diligit.

Cum Deus sit finis sup naturalis, & naturalis, peccatũ ab vtroq. auertit, & quo modo.

Præterea, Deus duplici modo est finis vltimus; nempè rerum supernaturalium, & naturæ; Peccatum ab vtroque diuellit; Verùm hoc discrimine, quòd peccata, quæ immediatè virtutibus Theologicis, & legi gratię aduersantur, primò amouent à Deo, fine supernaturali; cum verò idem ipse sit rector, auctor, & finis naturalis, secundariò ab eodem auellunt. Peccata verò contra naturæ legem patrata, primò distrahunt à Deo, fine naturali, secundariò a fine supernaturali. Quia rectitudo supernaturalis (quidquid enim contrariatur Deo, vt est finis naturalis, contrariatur eidem vt est finis supernaturalis) supponit rectitudinem naturalem, quamuis non e contrario. Tum etiam, quia recta ratio hominis dictat parendum esse præcipienti Deo, iccirco vbi peccatum mortale auertit a Deo, auertit etiam a rect: ratione. At eò ipso, quod est contra rectam rationem, ab ipso quoque Deo auertit, & separat. De qua quidem re S. Thomas in prima secundæ quæst. 73. art. 7. ad 3. Caietanus, Medina in quęst. 71. art. 6.

peccatũ eo ipso, quod est contra rectam rationem, est etiam cõtra Deum, & e contra.

Ad extremum, quemadmodum in quocunque virtutis opere duplex relucet finis, proximus, & virtuti peculiaris: Et remotus, atque communis. Prior, exempli causa in eleemosyna, est alienæ miseriæ subleuatio, posterior est Deus ipse; ità in quocunque peccato reperitur finis proximus, vt v. g. intemperantiæ est voluptas, auari-

In peccato duplex finis, intermedius & ultimus, hic est inordinat⁹ amor sui ipsius.

auaritiæ, facultatum possessio: inuenitur etiam finis communis, in quem quidem omnia peccata, veluti in finem vltimum referuntur; & hic est inordinatus amor sui ipsius, nam, auctore D. Augustino *Amor sui vsq. ad contemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis*. hinc liquet, quonam pacto peccatum mortale auertat a Deo, ut a fine vltimo.

Secundò, peccatum abducit, remouetq. a Deo, quasi a primo rerum principio, & causa. Cum enim Deus sit rerum omnium causa, peccatum lethale, extra eum constituit aliam primam sui causam; vt in tractatu de causis peccati docebimus. quia peccatum, referendum est veluti in primam sui causam, in voluntatem ex nihilo conditam; quæ non adhibito tramite rationis, operatur; nec eius vlla causa extra voluntatẽ quærenda est. quinimo neq. ei vlla efficiens causa, sed, vt syncerius loquamur, deficiens assignanda est. Quare peccatum, vt sæpè ait D. August. nec animal est, nec Angelus, nec dæmon; sed est mala soboles a te ipso voluntariè propagata. Verùm de hac materia suo loco.

Peccatum auertit peccatorem a Deo, quasi a primo rerum principio.

Tertiò auertit, vt a prouidente; nam Deus habet rectum rerum omnium ordinem, ita, vt omnia fortiter ac suauiter destinet in fines suos: in quo quidem ordine sita est prouidentia, quæ, auctore S. Thoma in prima parte quæst. 19. art. 1. *est ratio ordinis mediorum in finem*, & D. Damasc. libro secundo fid. orth. *est voluntas Dei propter quam omnia, quæ sunt, conuenientem deductionẽ suscipiunt*. Huic ordini quicquid consentit, bonum est: ab eo quicquid deuiat, malum. Peccatum mortale ab hoc diuino ordine exit. Vnde fit, vt etiam non sit a Deo volitum, sed permissum. Postremò auertit, vt a legis latore, tum etiam vt ab amico, quod cuiq. conspicuum est.

Auertit ab eodem vt a prouidente.

Auertit vt a legis latore, & amico.

Totidem modis peccatum mortale offendit Deum,

imò verò sexcentis alijs, quos Sancti Patres eleganti pietate, ac pia elegantia exagitant. Nos ad peccati infinitatem, quam in calce proximè præcedentis capitis tetigimus, redeamus, quare sit.

CAPVT TERTIVM.

Peccatum mortale, vt est diuinæ maiestatis offensiuum, & malum intentatum, est in se, ac simpliciter infinitum, in genere mali moralis.

ALiquã multi Theologi, in peccato mortali, nullã aliam infinitatem ponendam putant, præter extrinsecam illam, & obiectiuam, quam in capite primo huius Disputationis enucleauimus. ita, vt quemadmodum dilectio Dei super omnia, & visio beata, ex parte duntaxat obiecti, & secundum quid, gaudet infinitate; sic e regione peccatum mortale, sortiatur quandã infinitatem ex obiecto infinito, quò priuat. In hac sententia fuit Scotus in quarto dist. 15. quæst. 1. Abulensis Paradox. 5. cap. 150. Gabriel in tertio. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Cui adhæsit postea Greg. de Valẽtia in prima secundę S. Thomæ quęst. 17. punct. 4. & in tertia parte quęst. 1. punct. 5. Suarez in eadem quæst. art. 2. Disput. 4. Vasquez in prima secundę Disput. 99. cap. 8. & disput. 100. cap. 5. Salas in eadem parte quęst. 87. disput. 15. Martinus Becanus in sua summa Theologię Tractatu de peccatis, capite secundo, quęst. 6. & complures alij.

Potissimum argumentũ quod peccatum non sit simpliciter infinitum.

Adducuntur verò vt ita credant, cùm alijs, tùm potissimùm hoc argumento: quia fautores aduersę sententię, ob id pręcipuè asseuerant, peccatum mortale, affici malitia simpliciter infinita, in genere mali moralis; quia, quantum ad ipsum peccatũ attinet, perimit Deũ, ac

ac est destructiuum diuinæ maiestatis; Hoc autem perperam iactatur: Primò, quia peccatum re ipsa non destruit Deum, ergo non est destructiuum: nam cuicunque potentiæ actiuæ, (hanc importat destructiuũ) respondere debet, potentia passiua, & contra: vt ostendit Philos. in quinto libro primæ Philosophiæ, tex. 17. & lib. 9. tex. 2. quare si peccatum in effectu nõ destruit, nec erit secundum se destructiuum.

Deinde, nec etiam est destructiuum Dei secundum affectum peccantis; quia non cuiuis peccato inest voluntas formalis, vel etiam virtualis destruendi Deum, quippè qui ex ignorantia, vel inaduertentia mortaliter labitur, num animo molitur destruere Deũ? quinimo ne directè quidem quicquam intendit contra Deum. Preterea, sunt aliqui, qui dum in ipso peccato voluũtur, tantum abest, vt affectum labefactandi Deum, secum uoluẽt, ut vellẽt potius lucrum, vel delectationẽ, quam ibi venantur, non fuisse contra Deum. Affectus autem euertendi Deum, plerunq. incubat in odio Dei; & in peruersa voluntate damnatorum, qui vellẽt Deum nõ esse, ne contra se perpetrata scelera vlcisceretur. temerè itaque inculcatur, peccatum esse destructiuum diuinæ maiestatis, & indidem infici malitia, simpliciter infinita.

Alij Theologi, quorum & numerus, & auctoritas maior, ex aduerso tuentur; quoduis actuale, peccatum mortale, tum etiam originale, prout est offensiuũ Dei, & malum illi intentatum, esse simpliciter, intrinsecèq. infinitum, in genere mali moralis, eo modo, ac si daretur linea infinita, esset secundum longitudinem simpliciter infinita. Eos longa serie percenset Aluarez in prima secundæ S. Thomæ quæst. 87. art. 4. & Mag. Medina in tertia parte S. Thomę quæst. 1. art. 2. dub. 2.

Peccatũ ita esse infinitũ in genere moris, sicut si esset linea infinita in genere quãti.

cum Deus Opt.Max. sit primum efficiens, nemini vnquam esse potest causa deficiendi; sed duntaxat efficiendi. Et cum sit summa bonitas, omniaque, vt auctor est D.Dionys. cap.2. de Diuin nomin. in suum amorem, seque ipsum conuertat, nemini, vt a se auertatur, causa constitui potest. Postremò, cum Deus sit ipsamet ratio simpliciter, & prima regula rationis, haud vnquam esse potest causa, quamobrem quicquam a bono, rectoque tramite rationis, auertatur. Itaque peccatum, quà est auersiuum a Deo, ac deficiens, referri debet in causam secundam, deficientem, hoc est, in nostram uoluntatem, & nullo pacto in Deũ; ita Aluarez Disputatione illa 128. ad 3. Mag. autem Medina alias tres huius argumenti adhibuit solutiones, in prima secundæ itidẽ S. Thomæ quæst. 71. ar. 6. in responsione ad 5. Verùm de hac re infra, ut innui, nunc sit.

DISPVTATIO QVARTA.

De infinitate peccati.

CAPVT PRIMVM.

Peccatum vario respectu consideratum: tùm, qua ratione id ipsum est finitum, qua verò infinitum obiectiuè.

PECCATVM multifariam vsurpatur; Primò, in genere naturæ, seu entis. de quo vbertim, ac pleno stylo iã diximus. Qua ratione nemo Theologorum ambigit, quominus absolutè sit quicpiam finitum. Verumenimuerò solus Deus teroptimus Maximus in hoc genere gaudet infinitate. Vnde satisfactio quoque Christi Domini, vt in tertia parte S. Thomæ docemur, hac ratione finita est. Quid enim? si peccatum in genere physico esset infinitum, procul dubio foret summum malum; quod fieri non posse, demonstrat S. Thomas in prima parte quæst. 49. art. 3. quia, *si malum integrum sit, seipsum destruet*; inquit S. Augustinus in Enchirid. cap. 5. & in cap. 14. *mala*, ait, *omninò sine bonis, & nisi in bono, esse non possunt.*

Peccatum in esse naturæ finitum est

Capitur secundò, vt malum morale: Hac etiam ratione primò perpenditur quoad conuersionem ad bonũ, cõmutabile; & finitũ etiã est, auctore S. Thoma in prima secundæ quæst. 87. art. 4. quo loci, *ex parte*, ait, *inordinatæ conuersionis ad bonum commutabile, pec-*

Peccatũ, ratione conuersionis ad bonum cõmutabile, finitum est.

catum finitum est: quia ipsum commutabile bonum, finitum est: & quia ipsa conuersio est finita, non n possunt esse actus creaturæ infiniti. Ad hæc, consideratur vt est malum illius hominis, qui peccat; idque gemino modo: quia auertit eum ab ordine rectæ rationis, & quia diuellit a Deo, ad quem adhærescere bonum est, iuxta illud Psal. 72. *mihi autem adhærere Deo bonũ est*. Postremò capitur, vt malum offensiuum Dei. itaq.

Peccatum vt auertit hominem a recta ratione, finitũ est.

Peccatum, quà est malum peccantis, amouens, auertensque eum ab ordine, & tramite rationis, adhuc est finitum etiam in genere moris. Ratio in promptu suppetit: quia peccatum v. g. intemperantiæ, ea ex parte, quà auertit hominem ab orbita rationis, non inficitur maiori malitia, quã sit moralis bonitas in actu opposito, nempè temperantiæ, vt multis aperit S. Thomas in prima secundæ quæst. 73. art. 3. Atqui in actu temperantiæ haud est bonitas moralis infinita, neque igitur actus intemperantiæ, prout a tramite rationis exorbitat, erit infectus malitia infinita. Quid priuationis quantitas, vt in Philosophia notum est, pensitatur ex quantitate actus, ac formę, qua priuat; neque enim maius ac deterius malum est cæcitas, quã bonum, & optabile est visus, quo illa orbat: si itaque peccatum, hoc respectu priuat hominem re finita, nempè rectitudine rationis, nequit, nisi finitum esse.

Peccatũ, vt auertit hominẽ a Deo, est infinitũ, sed tñ solũ obiectiue.

Ad extremum, peccatum mortale, quà est malum hominis, auertens eum ab incommutabili bono, Deo, est malum infinitum, sed non malitia simpliciter infinita, sed tantum obiectiua, & extrinseca.

Prior pars, asseritur a S. Thoma in parte commemorata quæst. 87. art. 4. vbi *in peccato*, ait, *duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, Vnde ex hac parte peccatum est infinitum*. Nec cuiquam dubium est, quin sit infinitum malum, si priuat infinito bono. Verum

Verùm infinitate duntaxat extrinseca, & obiectiuè, vt posterior affirmat pars. Nã quemadmodum bonum diuinum, a quo per peccatũ homo diuellitur, quoq. orbatur, est in se simpliciter infinitum, ita idem ipsum bonum diuinum, ad quod per actum charitatis homo cõuertitur, & acquirit, omninò infinitũ est; At conuersio hominis ad Deũ ex affectu charitatis, non est simpliciter bonum hominis infinitum, sed forinsecus duntaxat, & obiectiuè, nec igitur peccatum, quà hominem ab incommutabili, & infinito bono distrahit, erit malũ eius simpliciter infinitum; sed secundũ quid, & obiectiuè.

Huc accedit, actus charitatis, aut beatificę visionis, ob id ipsũ nõ est bonũ hominis internè, ac simpliciter infinitum, quia, tametsi attingit Deum in se, bonum infinitum, non tamen attingit modo infinito: nec enim creatura, an amare, an cognoscere Deum potest, quantum ille amari, & cognosci potest: ita peccatum, quamuis amoueat hominem a Deo, infinito bono, minimè tamen amouet modo infinito. Quid ita? quia homo in dies, quinimmo in momẽta, longè maiora, ac fędiora scelera perpetrare valet: atque magis, magisq. elongari amouerique a Deo, ex quo fit, ut peccatum neutiquam sit malum hominis simpliciter infinitum, quia infinitum, non est infinito maius.

Postremò, poena damni respondet in peccato auersioni a bono incommutabili, sicuti pæna sensus conuersioni ad bonum commutabile; auctore S. Thoma in prima secundæ quæst. 87. art. 4. & secunda secundę quæst. 79. art. 4. Poena autem damni non est ęqualis in damnatis, alioquin omnes in poena essentiali essent pares, etenim vt in suprema fælicitate, beati ob diuersa merita essentialiter differunt, *vt stella differt a stella in claritate*, sic in damnatis ob varietatem scelerum, varia infligitur poena, alia maior, alia minor:

Pœna dãni respondet in peccatò auersioni a bono incõmutabili: pœna autẽ sẽsus, cõuersioni ad bonum commutabile.

minor: Quare etiam malitia diuellens eos a bono incommutabili, erit in ijs alia maior, alia minor; atquè adeò internè finita, ex obiecto verò infinita.

Humanitas Chri, B. Virgo, & beata visio hẽnt, quandam infinitatem ex bono infinito, cui coniunguntur, sic e cõtrario peccatum.

Vt ergo humanitas Christi D. ex eo quod est vnita Deo, Et beata Virgo ex hoc, quod est mater Dei, tùm beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, *habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus.* vt tradit S. Thomas in prima parte quęst. 25. art. 6. ad 3. sic e regione peccatum mortale, vt amouet hominem a bono infinito, est quidem malum infinitum, sed tantũ ex obiecto. De hisce inter Doctores dissensio nulla: Verùm acriter disceptatur de postrema peccati acceptione: num videlicet, ut offensa Dei, & malum diuinæ maiestati intentatum, sit in se, ac simpliciter infinitum malum morale. Hoc accurata trutina perpendemus, vbi prius uiderimus, quot modis peccatum auertat hominem ab incommutabili bono, Deo? quare sit.

CAPVT SECVNDVM

Quot modis peccatum mortale auertat hominem a Deo?

QVinque potissimùm: ut ab vltimo fine, ut a primo rerum omnium principio, ut a prouidente, legum latore, & amico.

Peccatum mortale auertit hominem ab vltimo fine

Auertit ab vltimo fine, quia cum Deus Opt. Max. sit hominis, humanarum actionum, omniumque creaturarum finis vltimus, quod luculentè sacræ paginæ attestantur, Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est altissimus.* & Dionysius cap. 2. de diuin. nomin. *omnia, quæ operatur Deus, conuertit in seipsum, & in suum amorem.* & demonstrat S. Thomas cùm sæpè alibi, tũ præcipuè in tertio cont. Gent. a capite 17. vsq. ad

ad 23.& de Veritate quæst.22.art.2. peccatum mortale auertit ab eiusmodi fine peccantem; quia quicunque lethaliter peccat, figit sibi, collocatq. vltimum finem in creatura.

Quicunq: mortaliter peccat, ponit vltimũ finem in creatura.

Quod verum esse, vel paucis hisce euinces. Ad Philip 3. habetur de ijs, qui ventri,& abdomini inseruiũt, *quorum Deus venter est*. ad Ephes. 5. auaritia nuncupatur *idolorum seruitus*. omninò adeundus est, Chrysostomus cùm super hisce locis, tùm homil. 18. in primam epist. ad Timotheũ. Hinc iure optimo queritur Deus, dum Hieremiæ 2. *Duo*, ait, *mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Scitè,& eleganter Hieronymus in Psal. 80. ad hæc omninò scribit. Cui Deus venter est, ei Deus recens est, quæcunque uitia habemus,& quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos, iratus sum, ira mihi Deus est, vidi mulierem,& concupiui, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit,& ueneratur, hoc illi Deus. Et ratio quoque Theologica in manu est: nam omnis actio humana ad ultimum aliquem finem destinatur. Peccatum mortale in Deũ, ueluti ultimum finem, ferri ac destinari nequit; secus n. ab eo sumeret bonitatẽ, habet igitur pro ultimo fine creaturam.

Duplici modo intelligi potest, vltimũ finem poni in creatura

Quæ omnia ut adhuc intelligantur, scito ex Mag. Medina in prima secundæ S.Thomę quęst. 1. art. 5. gemino modo contingere, aliquem collocare ultimum finem in creatura: Vno quidẽ ita, ut hoc iudicium intellectus præuertat, colloco felicitatem meam in creatura, quod quidem iudicium speculatiuum non habet, quicunque lethaliter peccat: alioquin foret hęreticus, ac infidelis. Secundò, id euenit practicè, cùm peccator operibus ipsis, spreto Deo, eiusque amicitia (*nemo enim potest seruire Deo, ac Mammonæ*) amplectitur creaturã,

camq.

eā q. pluris, quā Deum facit, aut formaliter, ut ille, qui ex certa, quod aiunt, malitia peccat, aut virtute, ac interpretatiuè. Huc spectat illud Ioan. 12. *Multi ex principibus, non audebant Christum confiteri, ne extra Synagogam fierent*. vnde colligit Christus, eos pluris hominum, quàm Dei gloriam existimauisse, quocirca hæc consecutio necessaria est, N. peccat mortaliter, ergo plus creaturam, quàm Deum diligit.

Cum Deus sit finis supernaturalis, & naturalis, peccatū ab vtroq. auertit, & quo modo.

Præterea, Deus duplici modo est finis vltimus; nempè rerum supernaturalium, & naturæ; Peccatum ab vtroque diuellit; Verùm hoc discrimine, quòd peccata, quæ immediatè virtutibus Theologicis, & legi gratię aduersantur, primò amouent a Deo, fine supernaturali; cum verò idem ipse sit rector, auctor, & finis naturalis, secundariò ab eodem auellunt. Peccata verò contra naturæ legem patrata, primò distrahunt à Deo, fine naturali, secundariò a fine supernaturali. Quia rectitudo supernaturalis (quidquid enim contrariatur Deo, vt est finis naturalis, contrariatur eidem vt est finis supernaturalis) supponit rectitudinem naturalem, quamuis non e contrario. Tum etiam, quia recta ratio hominis dictat parendum esse præcipienti Deo, iccirco vbi peccatum mortale auertit a Deo, auertit etiam a recta ratione. At eò ipso, quod est contra rectam rationem, ab ipso quoque Deo auertit, & separat. De qua quidem re S. Thomas in prima secundæ quæst. 73. art. 7. ad 3. Caietanus, Medina in quęst. 71. art. 6.

peccatū eo ipso, quod est contra rectam rationem, est etiam cōtra Deum, & e contra.

Ad extremum, quemadmodum in quocunque virtutis opere duplex relucet finis, proximus, & virtuti peculiaris: Et remotus, atque communis. Prior, exempli causa in eleemosyna, est alienæ miseriæ subleuatio; posterior est Deus ipse; ità in quocunque peccato reperitur finis proximus; vt v.g. intemperantiæ est voluptas, auari-

In peccato duplex finis, intermedius & ultimus, hic est inordinat⁹ amor sui ipsius.

auaritiæ, facultatum possessio: inuenitur etiam finis communis, in quem quidem omnia peccata, veluti in finem vltimum referuntur; & hic est inordinatus amor sui ipsius, nam, auctore D. Augustino *Amor sui vsq. ad contemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis*. hinc liquet, quonam pacto peccatum mortale auertat a Deo, ut a fine vltimo.

Secundò, peccatum abducit, remouetq. a Deo, quasi a primo rerum principio, & causa. Cum enim Deus sit rerum omnium causa, peccatum lethale, extra eum constituit aliam primam sui causam; vt in tractatu de causis peccati docebimus. quia peccatum, referendum est veluti in primam sui causam, in voluntatem ex nihilo conditam; quæ non adhibito tramite rationis, operatur; nec eius vlla causa extra voluntatē quærenda est. quinimo neq. ei vlla efficiens causa, sed, vt syncerius loquamur, deficiens assignanda est. Quare peccatum, vt sępè ait D. August. nec animal est, nec Angelus, nec dęmon; sed est mala soboles a te ipso voluntariè propagata. Verùm de hac materia suo loco.

Peccatum auertit peccatorem a Deo, quasi a primo rerum principio.

Tertiò auertit, vt a prouidente; nam Deus habet rectum rerum omnium ordinem, ita, vt omnia fortiter ac suauiter destinet in fines suos: in quo quidem ordine sita est prouidentia, quæ, auctore S. Thoma in prima parte quæst. 19. art. 1. *est ratio ordinis mediorum in finem*, & D. Damasc. libro secundo fid. orth. *est voluntas Dei propter quam omnia, quæ sunt, conuenientem deductionē suscipiunt*. Huic ordini quicquid consentit, bonum est: ab eo quicquid deuiat, malum. Peccatum mortale ab hoc diuino ordine exit. Vnde fit, vt etiam non sit a Deo volitum, sed permissum. Postremò auertit, vt a legis latore, tum etiam vt ab amico, quod cuiq. conspicuum est.

Auertit ab eodem vt a prouidente

Auertit vt a legis latore, & amico.

Totidem modis peccatum mortale offendit Deum,

imò verò sexcentis alijs, quos Sancti Patres eleganti pietate, ac pia elegantia exagitant. Nos ad peccati infinitatem, quam in calce proximè præcedentis capitis tetigimus, redeamus, quare sit.

CAPVT TERTIVM.

Peccatum mortale, vt est diuinæ maiestatis offensiuum, & malum intentatum, est in se, ac simpliciter infinitum, in genere mali moralis.

ALiquã multi Theologi, in peccato mortali, nullã aliam infinitatem ponendam putant, præter extrinsecam illam, & obiectiuam, quam in capite primo huius Disputationis enucleauimus. ita, vt quemadmodum dilectio Dei super omnia, & visio beata, ex parte duntaxat obiecti, & secundùm quid, gaudet infinitate; sic e regione peccatum mortale, sortiatur quandã infinitatem ex obiecto infinito, quo priuat. In hac sententia fuit Scotus in quarto. dist. 15. quæst. 1. Abulensis Paradox. 5. cap. 150. Gabriel in tertio. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Cui adhæsit postea Greg. de Valētia in prima secundę S. Thomæ quęst. 17. punct. 4. & in tertia parte quęst. 1. punct. 5. Suarez in eadem quæst. art. 2. Disput. 4. Vasquez in prima secundę Disput. 99. cap. 8. & disput. 100. cap. 5. Salas in eadem parte quęst. 87. disput. 15. Martinus Becanus in sua summa Theologię Tractatu de peccatis, capite secundo. quęst. 6. & complures alij.

Potissimum argumentũ quod peccatum non sit simpliciter infinitum.

Adducuntur verò vt ita credant, cùm alijs, tùm potissimùm hoc argumento: quia fautores aduersę sententię, ob id pręcipuè asseuerant, peccatum mortale, affici malitia simpliciter infinita, in genere mali moralis; quia, quantum ad ipsum peccatũ attinet, perimit Deũ,

ac est destructiuum diuinæ maiestatis ; Hoc autem perperam iactatur: Primò, quia peccatum re ipsa non destruit Deum, ergo non est destructiuum: nam cuicunque potentiæ actiuæ, (hanc importat destructiuũ) respondere debet, potentia passiua, & contra: vt ostendit Philos. in quinto libro primæ Philosophiæ, tex. 17. & lib. 9. tex. 2. quare si peccatum in effectu nõ destruit; nec erit secundum se destructiuum.

Deinde, nec etiam est destructiuum Dei secundum affectum peccantis; quia non cuiuis peccato inest voluntas formalis, vel etiam virtualis destruendi Deum, quippè qui ex ignorantia, vel inaduertentia mortaliter labitur, num animo molitur destruere Deũ? quinimo ne directè quidem quicquam intendit contra Deum. Preterea, sunt aliqui, qui dum in ipso peccato voluũtur, tantum abest, vt affectum labefactandi Deum, secum uoluẽt, ut vellẽt potius lucrum, vel delectationẽ, quam ibi venantur, non fuisse contra Deum. Affectus autem euertendi Deum, plerunq. incubat in odio Dei ; & in peruersa voluntate damnatorum, qui vellẽt Deum nõ esse, ne contra se perpetrata scelera vlcisceretur. temerè itaque inculcatur, peccatum esse destructiuum diuinæ maiestatis, & indidem infici malitia, simpliciter infinita.

Alij Theologi, quorum & numerus, & auctoritas maior, ex aduerso tuentur, quoduis actuale, peccatum mortale, tum etiam originale, prout est offensiuũ Dei, & malum illi inuentatum, esse simpliciter, intrinsecèq. infinitum, in genere mali moralis, eo modo, ac si daretur linea infinita, esset secundum longitudinem simpliciter infinita. Eos longa serie percenset Aluarez in prima secundæ S. Thomæ quæst. 87. art. 4. & Mag. Medina in tertia parte S. Thomę quæst. 1. art. 2. dub. 2.

Peccatũ ita esse infinitũ in genere moris, sicut si esset linea infinita in genere quãti.

Quomodo peccatū est offensiuum Dei?

Pro qua quidem assertione, iaciunt hoc fundamentum nempè peccatum lethale, verè esse Dei offensiuū, & malum, non quidem ei illatum, sed intentatum. Nō re ipsa illatū, qa Deo, sicut in se nihil boni adiūgi potest; ita nihil mali inferri; *Quid enim prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* inquit Iob cap. 22. nihilominus peccator, prout ipsi Deo intentat malum cum animo, & affectu offendit, lædit perimit. Audi S. Thomam in prima secundæ quæst. 21. art. 4 ad 1. *per actum hominis, Deo secundum se, nihil potest accrescere, vel deperire; sed tamen homo, quantum in seipso est, aliquid subtrahit Deo, vel ei exhibet, cum seruat, vel non seruat ordinem, quem Deus constituit.* D. Bernardus in sermone tertio de resurrectione Domini, *peccator*, inquit, *quod attinet ad eius affectum, Deum perimit, & illum a sua sede deijcere, & loco eius alium Deum subrogare contendit.* & rursus, *Vtinā praua voluntas, vel rebus istis esset contenta; nec in ipsum, (horribile dictu) desæuisset auctorē; hunc autē & ipsum, (quantum in ipsa est) Deum, perimit voluntas praua, omninò enim vellet Deum, peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut insipientem. Crudelis planè, & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat.* D. Chrysostomus homil. 4. in Matth. expendens verba illa, *quærentes eum tenere*, hæc omninò committit litteris, *omnis homo malus, quantum ad voluntatem suam, & manus immittit in Deum, & eum occidit.*

Quō illud intel igitur, dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

At ne quisquam opinetur, sanctos Patres, ex hyperbole, & ad terrorem inijciendum loqui, En tibi diuinus Psaltes affirmat, peccatores animo tollere, & inficiari Deum, psal. 52. *dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Insi-

Insipiens, ideſt, peccator: nam vel ipſo Philoſopho auctore, libro tertio Ethic. cap. 1. *omnis prauus, ignorat, qua agere oportet.* & Prouerb. 14. *errant, qui operantur malum.* In corde ſuo, quia licet id explicitè, & ore ipſo non proferat, animo tamen, & factis eum inficiatur; iuxta illud, *fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*

Ex quo quidem fundamento, ita aſſertio comprobatur; Si poſſibile eſſet, re ipſa deſtruere verum Deum, deſtructiuus ille actus, procul dubio, fuiſſet malitiæ ſimpliciter infinitæ: ergo affectus deſtruendi Deum, itidem eſt malitiæ ſimpliciter infinitæ: quia apud Deum, uoluntas pro facto, & affectus, pro effectu reputatur. Atque adeò, cum peccatum mortale contineat affectum labefactandi, & euertendi Deum, erit vtique infectum malitia ſimpliciter infinita. Hinc Caietanus in prima parte S. Thomæ quæſt. 19. art. 6. malum, ait, culpæ, quantum eſt in ſe, eſt priuatiuum boni diuini ſecundum ſe, ſi eſſet priuabile.

Præterea, S. Thomas in tertia parte quæſt. 1. art. 2. ad 2. ex eo probat ſatisfactionē puri hominis, neutiquam poſſe eſſe perfectam, & ad æqualitatem, pro peccato. *quia peccatum contra Deum commiſſum, quandam infinitatem habet, ex infinitate diuinæ maieſtatis, tanto n. offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur. Vnde oportuit, ad cōdignā ſatisfactionē, vt actus ſatisfacientis, haberet efficaciam infinitam, vt pote Dei, & hominis exiſtens.* Ex quo ita ſtruitur argumentū. Si peccatum, vt eſt offenſa Dei, eſſet præditum infinitate duntaxat extrinſeca, & ſecundum quid, homo iuſtus, per actum Charitatis, poſſet pro eo, de condigno exſoluere: ſiquidem eiuſmodi actus, gaudet quoque infinitate ſecundum quid, & ex parte obiecti. Cum

Eò grauior eſt offenſa, quò maior eſt ille, in quem peccatur.

itaque

itaque S. Doctor ex infinitate peccati colligat, solam Christi satisfactionem, (quæ in genere meriti, & satisfactionis simpliciter est infinita) esse pro eo condignã, & ad perfectã, vt aiũt, æquipollentiam, apertè sentit prauitatem peccati, vt est diuinæ maiestatis offensa, intrinsecè, & absolutè esse infinitam. Quod quidem argumentum, tanti roboris existimatur, vt nonnulli, aut satisfactionem Christi, non esse simpliciter infinitam, etiam in genere moris, aut peccatum mortale, esse simpliciter infinitum, omninò concedi oportere dicant.

Denique, ita communi omnium mortalium sensu, iudicioque firmatum est, & in pectoribus etiam barbarorum hominum insedit, offensæ, & iniuriæ grauitatem, manare ex illius, qui ea afficitur, dignitate, & excellentia: an ne putas perinde esse, Principem, aut Regem pugnis conscindere, atque plebeium? Cum itaque Deus, qui per peccatum offenditur, sit omninò infinitæ dignitatis, ambigendum non est, quin peccatum, vt Deum lædit, sit absolutè infinitæ prauitatis.

Solutio arg. primæ opinionis.

Hinc diluunt quoque argumentum primæ opinionis, nimirum, non modò odium Dei, sed quodcunque peccatum mortale, quod attinet ad affectum, esse destructiuum diuinæ maiestatis (vt supra dixi.) Quis quis enim lethaliter peccat, vult saltem virtute, & implicitè, Deum non esse vltimum finem, & loco eius eligit creaturam, vt dudum docuimus. Deuiat a prima illius causalitate, nollet eum legis latorem, nollet vltorem, nollet iustum. Atqui Deus, qui non est rerum omnium finis, non prima causa, non legum lator, non malefactorum vindex, non iustus, quis Deus est?

Nec oportet vt affectui nostro respõdeat ex parte Dei aliqua potentia passiua: nam illa deberet esse vasta, & infinita;

infinita; quæ dari non potest. Quisquis verò ex ignorantia peccat, si illa est inculpabilis, excusatur a peccato, vt infra docebimus; si verò *nolit intelligere, vt sapiat; & rectè agat*, in eandem foueam delabetur. Et denique, qui sciens, ac videns, exempli causa, fornicatur, & cupit, delectationem illicitam nō esse offensam Dei, cupit Deum, non esse Deum.

Quæ cum ita sint, quis vnquam est, *in via salutis*, vsque adeò languidus, vsque adeò diuinæ opis ieiunus, qui, vt hanc animarum pestem euitet, non summa ope nitatur? Quis verò vsque adeò frigidis præcordijs, qui nō modò pro virili parte vigilet, sed oret etiam enixè, *ne intret in tentationem*? Quis vsque adeò stolidæ mentis, qui ita sit *diuinarum repromissionum* immemor; vt vel ad nomen peccati non vehementer exhorreat.

Pijssima gnome ex D. Anselmo fertur. *Si hinc peccatum, & illinc infernum haberem, ac vni eorum necessariò immergi deberem, prius me in infernum demergerem, antequam peccatum committerem*; ò piam animam, ò sanctum pectus: quantum fortasse absumus ab huiusmodi cautione; heu caue quisquis es, caue maximè in tentationis vestibulo. nam tunc facilè vincitur hostis, si mentis ostium nequaquam intrare finitur, sed ei extra limen, simul ac pulsarit, obuiam itur. Huic tu *resiste in fide fortiter*, nam **Pia D. Anselmi sententia de peccato, & inferno.**

Niliacus qualis serpens fugientibus instat,
Instantes fugiet quamlibet ante ferox:
Sic vetus ille Draco, sæuus mortalibus hostis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

Aut fuge, heu fuge, enimuerò peccatum, nulla re melius, quàm fuga fugatur. Atque ex consilio Ecclesiast. cap. 21. *tanquam a facie colubri, fuge peccatum*. Coluber, (hunc locum, ita veteres ex- **Peccatū fugiendo fugatur.**

plicant)

plicant) habet caput, corpus, & caudam : aftutè caput immittit, quo admiffo, totus ftatim illabitur. Lubricus nimirum eft ferpens antiquus, & nifi capite teneatur, ftatim totus immittitur. Per caput mali fuggeftionem, per corpus, delectationem; per caudam intellige confummationem; quare ftatim, ut in nobis oboriuntur cogitationes malæ, eas diuina ope freti, allidamus ad petram, ideft, Chrifti; Cui in æternum, & gloria, & gratia, qui te nunc

Quo intelligit illud, tanquam a facie colubri, fugiendū effe peccatum.

Lactantius in carmine, de Pafsione Domini.

Moribus extollit facris, vitaque beata,
Purpuream donec poft vltima fata, re ictо
Corpore, fublimes animam reuocabit ad auras;
Angelicos que læta choros, aciefque beatas
Sanctorum infpiciens, æterna pacis amana
Perpetuò fælix fecum regnabit in aula.

Finis Tractatus Primi.

TRA:

TRACTATVS
SECVNDVS.
DE VARIIS DIVISIONIBVS peccati actualis.

DISPVTATIO PRIMA:
De distinctione peccati in mortale & veniale.

CAPVT PRIMVM.

Peccata, verè & ex natura sua, hæc quidem esse mortalia, hæc verò venialia.

TETRICA Stoicorum familia pugnaciter olim tutata est, *omnia peccata esse paria.* Ita refert Plutarchus cùm sæpè alibi, tùm in opusculo de morali virtute, Diogenes Laertius in vita Zenonis, M. Tullius in Paradoxis, sermone 4. *Quod æqualia peccata.* DD. Cyprianus epist. 52. & Hieronym. epist. 9. In quod quidem dogma præceps deinde ruit Iouinianus, vt idem Hieronym. libro se-

Opinio Stoicorum de peccatis.

Iouiniani opinio.

cundo cap. 15. & 16. aduersus eum ipsum; & Aug. lib. de Hæresib. hæresi 81. adnotarunt. Quod si cuncta peccata æqualia sunt, profectò nec vnum grauius erit altero, nec inter ea vlla mortalium, aut venialium differentia.

Hæretici nostri temporis quid hic blaterant.

In hanc ipsam peccati partitionem in mortale, ac veniale, perfractè huius tempestatis Hæretici, veluti cornuti satyri incurrunt; qui nullum peccatum è sui natura veniale, sed cuncta lethalia, & capitalia esse, acri concertatione contendunt. Quod si vllum inter ea discrimen ponendum sit, id esse, aiunt, quod omnia prędestinatorum peccata, quamuis fæda, & immania, tamen vocentur, & sint venialia, quoniam hæc prædestinatis ad vitam non imputentur à Deo. Delicta autem reproborum omnia esse mortalia, quòd illis imputentur: vel quia, vt Hæretici loquuntur, hi sint ad malum prædestinati.

Stultum, & impium Lutheri, & Caluini dogma.

Alij patentiorem sibi viam ad perditionem sternunt, asseuerantes, peccata omnia omnium fidelium, ob hanc ipsam causam, esse venialia, quòd eis non imputantur; infidelium verò omnia esse mortalia. Hinc Martinus Lutherus eò vsque impietatis, ac impudentiæ prouectus est, vt cum sæpe alibi, tum prę-cipuè in eo opusculo, cui de captiuitate Babylonica nomen fecit, scribat, solam infidelitatem esse peccatum, extra quam nullum vnquam peccatum hominibus fidelibus posse nocere. Consimilia effutit Caluinus, maximè lib. 2. Inst. cap. 8. & reliqui nostri æui hæretici, quorum verba latè refert Aluarez in prima secundæ S. Thomę quæst. 88. art. 1. Isti igitur omnes, & similis impietatis grex, cum nullum peccatum suapte natura existiment veniale, sed solum ex non imputatione Dei, rident, ac rodunt partitionem peccati in mortale, ac veniale.

In

In contrarium stat catholica asseueratio: nimirum peccata ex sui natura, in imaque ratione, hæc quidem esse mortalia, hęc autem venialia: atque hanc partitionem non esse scholasticorum industria excogitatam, sed à sacrarum litterarum fontibus haustam, & à SS. Patribus diligētissimè sancitam, ac defensatam. — Catholica conclusio.

Verùm, ne in limine, quod aiunt, offendas, scito, peccatum mortale, geminam ob causam, sic esse appellatum. Primùm, quia perinde animæ inferat mortem, atque ægritudo, aut vulnus lethale, (vnde sumpta est translatio,) corpori. Quamobrem mortale est quasi mortiferum: nam *peccatum, cum consumatum fuerit, generat mortem*. Iacobi. 1. Deinde, nuncupatur mortale, quòd æterna damnatione dignum est, quæ in sacris voluminibus appellatur secunda mors. Veniale autem ita vocatum est, quia venia dignum existit, propter exiguitatem offensæ: sed hic, — Vnde dicitur peccatum mortale: vnde veniale.

Scito, nomen peccati venialis trifariam vsurpari, vt adnotauit D. Thomas in prima secundę, quęst. 88. art. 2. Primò, pro veniali ex euentu: Dein, pro veniali ex causa: Postremò, rigorosè, pro veniali ex natura sua. Vocatur veniale ex euentu id, cuius veniam re ipsa consequimur. Quo intellectu D. Ambrosius in libro de Paradiso cap. 14. ait; omnia peccata fieri venialia per pœnitentiam; quia scilicet omnia ope, & fauore pœnitentiæ possint deleri. Veniale ex causa est, quod etiam suapte natura lethale est, nihilominus aliquo pacto meretur veniam, quia committitur vel ex passione, vel ex ignorantia. Quò spectat illud Pauli, primę ad Timotheum. 1. *Fui blasphemus, & persecutor, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Tandem veniale ex sui natura dicitur, quod nec animam morte afficit, & per se pœna æterna dignum non est: — Triplex peccatum veniale. Ex euentu: Ex causa: Ex natura sua.

vt potè quod non auertat hominem à Deo, neque inter Deum, & hominem ferat inimicitias, vt inferius explicabo.

Peccatū veniale, aliud ex suo genere; aliud ex paruitate materię, aliud ex defectu deliberationis

Huiusmodi verò peccatum veniale triplex est. Aliud ex suo genere, & otiosum verbum, risus intempestiuus ea immodicus, indecens, ac indecorus incessus, & alia id genus. Aliud ex paruitate materię, vt furtum vnius oboli, quod neminem lędat. Aliud denique ex defectu perfectę deliberationis, vt subiti atque indeliberati motus concupiscentiæ, irę, inanis gloriæ, &c.

Probatur ex SS. litteris dari peccatum mortale, tum veniale.

His adnotatis, facile apparet dicta peccati partitio in mortale, ac veniale. Et quidem de mortali dicitur Sapient. 16. *Occidit homo per malitiam animam suam.* Primæ Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & cap. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Roman. 6. *Stipendium peccati mors.*

Iam verò esse nonnulla peccata venialia, quæ mortalibus opponuntur, vel ex illis Christi Domini verbis Matth. 5. liquet. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* In quo quidem diuino effato, tria iracundię peccata discriminantur: quorum postremum duntaxat ęterno supplicio dignum pronunciatur: priora duo non item. Hoc igitur erit capitale; illa autem venialia.

Peccata venialia indicantur à S. Paulo per lignum, fœnum, stipulam.

Pręterea, peccata venialia indicauit S. Paulus primę ad Corinth. 3 per lignum, fœnum, ac stipulam in illa memorabili sententia, dum ait; *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, &c.* In cuius expositionem

nem multis edisserit S. Aug. lib. de fide, & oper. cap. 15. & 16. Et lib. 12. de Ciuit. cap. 25. tum Gregor. Magn. lib. 4. Moral. cap. 39. Et S. Thomas in prima secundæ quæst. 89. art. 2. posteaquam varias huius effati explanationes attulerit, ita subnectit; *Dicendum igitur est, quod ipsa peccata venialia, quæ admiscent se procurantibus terrena, significantur per lignum, fœnum, & stipulam: sicut enim huiusmodi congregantur in domo, & non pertinent ad substantiam ædificij, & possunt comburi, ædificio remanente; ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali ædificio: & pro illis patitur ignem, vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorij post hanc vitam: & tamen salutem consequitur æternam.*

Audiendi quoque sunt SS. PP. August. serm. 14. de sanctis, Illo, inquit, transitorio igne, de quo dixit Apostolus 1. Corinth. 3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur: quibus licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replētia, deformem faciunt, vt eam amplius ad illius sponsi cælestis aspectum aut vix, aut cum grandi confusione peruenire permittant. Accedit D. Hieronymus, qui lib. 2. contra Iouinianum cap. 16. elegantissimè sic effunditur. Sunt peccata leuia, sunt grauia. Aliud est decem millia talenta debere; aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo, & de adulterio rei tenebimur: sed non est idem suffundi, & torqueri: erubescere, & longo tempore cruciari. Putas nostrum esse quod loquimur? Audi Apostolum Ioannem, qui scit fratrem peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit ei vitam, peccanti non ad mortem: qui verò peccauerit ad mortem, quis orabit pro eo? Cernis quòd

Probatur ex SS. PP. dicta peccatorum distinctio.

Elegantissima D. Hieronymi verba.

si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam, si pro maioribus, difficilis impetratio sit, & inter peccata, & peccata magnam esse distātiam? Hęc ille. Consimilia scribit reliquus sanctorum Patrum cętus: quos copiose refert Riccardus Victorinus tractatu de peccato mortali, & ueniali. Ludouicus Coccius Iuliacensis in Thesauro Catholico, tom. 2. lib. 2. de peccato hominis. Bellarminus lib. 1 de statu peccati cap. 9. Vasquez, Medina, Aluarez in prima secundę S. Thomę quęst. 88. art. 1. Nobis hęc tetigisse sit satis.

Ratio Theologica, quòd dentur peccata venialia.

Postremò, pro hac ipsa ueritate suppetit ratio Theologica: Dantur quędam delicta, quę nec mortem animę pariunt, nec ęternam merentur damnationem. Dictum autem est, huiusmodi esse peccata uenialia, ergo, &c. Maior, quod attinet ad primam partem, ex eo conspicua fit, quia mors animę posita est in auersione ab ultimo fine, & in priuatione gratiæ, & charitatis, ut ex D. August. docet S. Thomas in prima secundę q. 88. art. 1.

Peccatum veniale, neque auertit hominē ab vltimo fine, neque gratiam & charitatem excludit.

At qui nonnulla delicta, neq. ab ultimo fine diuellūt hominem, cum non sint cōtra illum, sed potius pręter illum: nec gratiam, charitatemque expellunt, sed in iusto homine unà cum ijs commorantur, ut discimus ex illo Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus.* Quo etiam sensu prolatum est illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Quod si istiusmodi delicta, nec mortem inferunt animę, nec ab ea gratiam, & charitatem eliminant, id porrò consequitur, ut nec etiam ęternam mereantur pęnam; quę etiā erat altera pars maioris. Ac proinde, pręter lethalia peccata, dantur alia minuta, ac uenialia.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Contra superius dicta, nonnulla difficultates proposita, & confutata.

ERit tamen, qui nobis opponat testimonium Ezechielis cap. 18. quo generatim & absolutè, nulla facta exceptione, sancitur. *Quod anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Tum Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Quisquis ergo statuit, esse aliquod peccatum, quo quidem anima, quę peccauerit, (peccatum quippe veniale, verè peccatum est,) non moriatur, & cuius stipendium non sit mors, is, profectò, propalam it contra sacrarum litterarum decreta. — *Obiecta contra superius dicta. Primum.*

Postea, bona opera quantumuis minima, merentur ęternam vitam: attestante Christo Domino. Matth. 10. *Quicunque dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam:* è regione igitur peccata quantumlibet minima, priuant hominem beata illa vita, ęternumque merentur supplicium, quia par est vtriusque ratio: eòque, omnia peccata etiam minutissima, erunt mortalia. — *Secundum.*

Præterea, quodcumque peccatum offendit Deum, qui est infinita bonitas; ergo quodcumque peccatum dignum est infinita pęna; ergo quodcumque peccatum est mortale. — *Tertium.*

His tamen facile occurres: nam Ezechiel in illo loco nequaquam loquitur de quouis peccato in vniuersùm, sed de mortali duntaxat, vt de idolatria, adulterio, furto, vsura, rapina, idque genus alijs, quę ibi longa serie prosequitur. Consimili ratione Apostolus sermonem habet de iniquitate, & immunditia cordis (quę procul dubio capitalia sunt) id quod ex eo ip- — *Solutio obiectionum.*

so contextu clarissimè patet, cum ibi, ita scribat: *sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, &c. stipendium enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna.*

Peccatum veniale cōiunctum cum mortali punitur æterna pœna.

Ad 2. bona opera, etiam minima merentur beatam, æternamque vitam, non præcisè spectata, sed quā sunt cum gratia, & charitate associata. Ad eundem modum peccata venialia possunt æterno supplicio puniri, non quidem absolutè, quā venialia sunt: sed si in peccatore cum peccato mortali fuerint coniuncta: quo pacto vtrobique eadem viget ratio. Præterea, effatum illud Christi Dei nostri, in eo duntaxat habet locum, qui calicem aquæ dederit ex charitate. Porrò elargiri aliquid, quantumcumque minimum ex charitate, eximium opus est: vt pote quod ex charitate, quę maxima virtutum est, proficiscitur.

Non quęuis offensa Dei dirimit eius amicitiā.

Ad 3. fateor, omnia peccata offendere Deum, at non omnia ita, vt eius amicitiam dirimant. Est quædam offensa grauis, quę affatim amicitiam Dei euertit; de qua Iacobi 2. dicitur, *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Quod profectò de capitalibus intelligitur, maximè verò, quę contra legem Decalogi committuntur. Est alia offensio leuis, quę neque charitatem, nec Dei amicitiam eijcit: de ista dictum est Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Immò verò generatim non quęuis offensa dissoluit quamcumque amicitiam, vt etiam ostendit Arist. lib. 9. Ethic. cap. 3. Quid? hic mihi tantum non insusurrat Samius ille,

μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρᾶς, id est,

Ne odio habe amicum ob paruulum peccatum.

CAPVT TERTIVM.

Vndenam potissima, & essentialis differentia inter peccatum lethale, ac veniale hauriatur?

VT ea, quæ de mortali, ac veniali peccato hucusque edisseruimus, adhuc reddantur conspicatiora, lubet in præsens rationem inquirere, quâ potissimum hæc duo peccata adinuicem distinguantur; qua de re vehemens est inter Catholicos Doctores dissidium.

Sunt qui putant, peccatum mortale in eo maximè à veniali discriminari, quòd illud sit contra pręceptum, hoc contra consilium. Ita Scotus in 2. dist. 21. quęst. 1. Quæ quidem assertio quàm sit à veritate procul, vel hinc dignosce, quia qui ducit vxorem, vel quæ nubit, facit contra consilium Christi Domini, qui omnibus consulit virginitatem; iuxta illud Apostoli primæ Corinth. 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Modo, qui ducit vxorem, & quæ nubit, nullo pacto, etiam venialiter peccat, auctore eodem Apostolo, qui actutum subdit. *Si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit.* Non igitur veniale in eo à mortali differt, quod hoc sit contra consilium, illud contra præceptum.

Peccatum mortale nō distinguitur à veniali, quod illud sit cōtra præceptum, hoc contra consilium.

Alij ex eo distinguunt, quòd per peccatum mortale offenditur Deus, per veniale non itē. cuius assertiō afferunt rationem, quia Deus haud offenditur, nisi contemnatur: per peccatum autem veniale non contemnitur, cum per istud, nec dilectio Dei super omnia, nec eius amicitia tollatur. In hanc sententiam iuit D. Bonauentura in 2. dist. 42. art. 3. quæst. 2.

Nec etiam distinguitur, quia per mortale contemnitur De⁹, nō itē per veniale.

Cœterùm hęc quoq. assertio minimè subsistit, quia tametsi Deus per peccatum veniale non contemnatur simpliciter, contemnitur nihilominus aliquo pacto, & vt aiunt, secũdum quid: ac proinde sic etiam offenditur: sicut ipsum quoque veniale est peccatum secundum quid. Hinc illud; *In multis offendimus omnes.*

Nec etiã distinguitur ex reatu pœnæ æternæ, vel tẽporariæ.

Distinxerunt alij ex reatu pœnæ æternæ, vel temporariæ; quod videlicet peccato mortali per se debeatur æterna pœna, veniali autem temporaria; eaque vel in hac vita, vel in Purgatorio infligenda. Ita colligunt ex DD. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum cap. 16. & Chrysost. homil. 16. in Matth. Verùm hanc positionem ex professo impugnat S. Thom. in prima secundæ quęst. 72. art. 5. in corpore, quo loci sancit, quod *Differentia venialis, & mortalis peccati, vel quæcunque alia differentia, quæ sumitur penes reatum, non potest esse differentia constituens diuersitatem speciei.* Cuius quidem asserti eam annectit rationem, quia pœna est pręter intentionem peccantis, & per accidens: nihil autem sumit speciem ex eo, quod est per accidens. *Vnde differentia, quæ est ex reatu pęnæ, potest consequi diuersam speciem peccatorum, non autem constituit diuersitatem speciei.*

Nec etiam distinguitur quia lethale ponit vltimũ finẽ in creatura, veniale non item.

Eadem ratione nec ex eo essentialiter ac primario hæc ipsa peccata secerni queunt, quod lethale constituat vltimum finem in creatura, veniale non item, sed referatur ad Deum habitualiter: quia hęc ratio consequitur ad vtrumque peccatum, iam in suo esse intellectum, in suaque specie constitutum.

His ergo explosis, magis veritati videtur consentanea opinio D. Thomę, quam habet multis in locis, maximè verò in prima secundę quęst. 88. art. 1. & 5. Et quęst. 72. art. 5. quę duplici assertione exponitur.

Prima

Prima est, peccatum mortale ex eo essentialiter à veniali distinguitur, quia illud tollit ordinem ad vltimum finem; veniale autem tollit ordinem circa media, quę sunt ad vltimum finem.

Vnde igitur verè distinguuntur?

Porrò vt id intelligas, scito, quod quemadmodum corpus viuit vitam corpoream, sic anima viuit vitam spiritualem. Corporis vita est ab anima: Animę vita est à Spiritu S. qui, vt Doctores Theologi in tractatu de gratia tradunt, elargitur homini iusto quoddam esse diuinum, suoq. vigore ingenerat in eo vitam quandam spiritualem, diuinæq. naturę consortem. Atqui anima non tribuit corpori vitam, nisi quandiu in eo debita humorum, & qualitatum proportio, constitutioq. permaneat: quo fit, vt sublata corporis temperie, & constitutione, anima quoq. vel pessum eat, vt fit in mutis animantibus, vel abeat, vt in homine: Ita Spiritus sanctus viuificat animam, quandiu in ea seruatur rectus quidam rationis ordo ad vltimum finem.

Hoc docuit nos S. Doctor in art. illo primo quęst. 88. primę secundę, dum ita scribit. *Principium spiritualis vitæ, quæ est secundùm virtutem, est ordo ad vltimum finem.* Et S. August. sępenumero ait, *animæ vitam esse coniunctionem cum vltimo fine.* Quamobrem sicut in corpore, quidquid euertit pręfatam humorum, & qualitatum temperiem, quę est necessaria, vt in eo anima conseruetur, (quod facit graue vulnus, & lethalis infirmitas,) vocatur mortale, quia prosternit principium ac radicem vitę; ita quicquid tollit rectum animę ordinem ad vltimum finem, Deum, id omne est animę mortale. Hoc autem facit peccatum mortale, quod hominem ab incommutabili bono diuellit, conuertitq. ad bonum commutabile: ideoque funditus euertit huiusmodi rectum ordinem, in quo

Sicut quod in corpore tollit principiũ vitæ est mortale, ita in anima, qđ tollit rectũ ordinẽ ad Deum.

collocatum erat, vt diximus, principium vitæ spiritualis.

Quare qui in peccatũ est lapsus, per se nequit ab eo resurgere.

Vnde sicuti, cum quis vita naturali destituitur, suis, vel etiam naturę viribus ad vitã redire nequit, (quippe à priuatione ad habitum per naturę leges haud est regressus;) & quemadmodum error, qui circa conclusiones irrepit, potis est ex principiorum veritate reparari, qui verò circa principia obuenit, reparari non potest; sic in præsens dicendum est de ordine ad vltimum finem: quòd nimirum vbi euersus fuerit, vt euenit in eo qui lethaliter peccat, nequit per aliquod internum principium reparari, sed reparatur ex gratia Dei, *cuius est velle, & perficere pro sua bona voluntate*. Peccata igitur, quę prædictum euertunt ordinem, *dicuntur mortalia, quasi irreparabilia*. inquit alicubi S. Thomas.

Venialia sunt sicuti ægritudines, quę per naturã sanantur.

Contrà verò, sicut in corpore accidunt nonnullę ęgritudines, aut vulnera, quę in eo principium vitę neutiquam auferunt, immo verò vi naturę sanantur; consimili ratione, nonnulla peccata haud euertunt rectum animę ordinem ad vltimum finem, nec principium spiritualis vitę deuastant, sed potius, (quod inferius explicabimus;) referuntur ad vltimum finem habituàliter, nec nõ vnà cum habitu charitatis, & gratię commorantur. Hinc S. Doctor in prima secundę quęst. 88. art. 2. quem nuper indicaui; *peccata*, inquit, *quæ habent inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, conseruato ordine ad vltimum finem, reparabilia sunt, & hæc dicuntur venialia*. Hæc de prima assertione.

Peccatum veniale nõ est contra legem Dei, sed pręter legem.

Secunda autem assertio est, quod peccatum mortale, est contra legem Dei, cùm sit dictum, factum, vel concupitum contra legem ęternam, vt retrò enucleauimus. Veniale autem minimè est contra legem

Dei

Dei,sed preter legẽ; *quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet; nec praetermittit id, ad quod lex per praeceptum obligat, sed facit praeter legem, quia non obseruat modum rationis, quem lex intendit.* inquit S. Thomas in responsione ad 1. dicti art. Et quæst. 72. art. 5. & quæst. 7. de malo, art. 1. & sępè alibi. Ex his habes, vndenam legitima, & essentialis differentia inter peccatum mortale, & veniale haurienda sit.

Quod si quæras, peccatum quomodo de mortali & veniali prædicatur? vniuocè ne, an analogicè?

Peccatum dicitur analogicè de mortali, & veniali.

Varia sunt in hac re Doctorũ placita, nobis dicendum videtur, peccatum secundum prius, & posterius & analogicè affirmari de mortali, ac veniali: tum quia peccatum veniale est peccatum secundum quid, & in ordine ad mortale; perinde atque accidens est ens secundum quid & in ordine ad substantiam. Vt ergo ens per analogiam cadit in substantiam, & accidens, ita peccatum in mortale, ac veniale. Tum etiam, quia veniale est præter legem Dei, non contra legem: capitale autem est contra legem eiusdem Dei ergo &c. Hoc idem docet S. Thomas in prima secundæ quæst. 88. ar. 1. ad 1. & quæst. 105. art. 2. omnesque eius discipuli, vt Capreol. in secundo, dist. 43. quęst. 1. conclus. 1. Caietanus. Conradus, Medina, Aluarez in art. illo 1. quęst. 88. citatæ, & alij.

CAPVT QVARTVM.

Vtrum peccatum veniale referatur in vltimum finem, hoc est in Deum: & quomodo?

PAtefactum à nobis est in tractatu proximè antegresso, disp. 4. cap. 2. peccatum mortale posthabito, spretoque incommutabili bono, Deo, collocare sibi vltimum finem in creatura. Hinc DD. Theologi summa cum ratione, hoc ipsum de veniali inquirunt: habet ne etiam istud pro vltimo fine creaturam, an Deum? & quomodo? Quia verò veniale peccatum, cùm in homine iusto, tùm in peccatore inueniri potest, de vtroque dicendum. Ac primo de eo, quod ab homine iusto, & qui in gratia, & charitate manet, committitur, itaque,

Quod peccatum veniale habet creaturam pro vltimo fine, secundum quid.

Sunt qui putant, quod non quiuis actus humanus habere debeat aliquem finem simpliciter vltimum, sed satis fuerit, si habeat finem vltimum secundum quid, & in sua serie. Et hoc pacto peccatum veniale existimant habere pro vltimo fine, non quidem simpliciter, sed secundum quid, creaturam: Mortale autem habere eam ipsam creaturam pro fine simpliciter. sic inter alios P. Vasquez in prima secundæ disp. 5. cap. 2. Salas tract. 1. disp. 8. sect. 3. & alij.

Argumenta pro hac opinione.

Adducuntur verò, vt ita credant, primò quia peccatum veniale, cum à tramite rationis deflectat, nequit pro extremo, summoque fine obtinere Deum, & in eum ipsum referri: siquidem actus inordinatus non est medium consentaneum, vt in Deum, aut Dei gloriam referatur. Quod vsqueadeò perspicuum

Primum.

est, vt etiam S. Thom. quęst 9. de malo. art. 2. id syncerè fassus sit, dum ait, intentionem iusti hominis, qua

se,

se,& sua omnia in Deum super omnia dilectum, refert,non extendi ad peccata venialia,sed ad ea duntaxat,quæ sunt in Deum referibilia. ¡Habet ergo peccatum veniale pro vltimo fine,saltem secundū quid, creaturam: siquidem inter Deum,& creaturam, ne imaginatione apprehendi potest quicquam medium.

Ad hæc,nullus effectus in rerum natura prodire potest absq.primæ causæ influxu,cum secunda causa, & in esse,& in operari pendeat à prima. Prima autē causa in operabilibus est vltimus finis; quò fit, vt nemo etiā nisi ex eius ipsius amore operetur. Hic autem vltimus finis in peccato veniali non est Deus, vt dictum est, ergo creatura. Secundum.

Postremo,quia auctore D.Aug.lib.83.qq.quęst.3. *Omnis humana peruersitas est, frui vtendis, & vti fruendis.* Atqui peccatum veniale, humana quædā peruersitas est:per illud igitur homo fruitur vtendis,hoc est creatura, atque adeò constituit eam pro vltimo fine, eo quo dixi modo. Tertium.

Alij verò arbitrati sunt, creaturam in peccato veniali esse vltimum finem negatiue,non autem positiuè: hoc est, rem, quæ per peccatū veniale expetitur, non referri in alium finem vlteriorem. Ita Azor.lib. 1.cap.1.quęst.5. Quæ opinio huic potissimum innititur fundamento, quia vltimus finis positiuus is est, qui propter se amatur,& omnia alia ob eius ipsius bonitatem appetuntur,atq. ad illum ipsum ordinantur. Finis autem vltimus negatiuè est, qui non ordinatur ad alium finem. Sic euenit in peccato veniali, siquidem cum alij fines non ordinentur ad finem peccati venialis,seu in rem,quæ per istud appetitur,non vtiq. erit vltimus finis positiuus. Alia verò ex parte, quia ea ipsa res quæ per huiusmodi peccatum intenditur, neutiquam refertur in alium finem simpliciter vltimum

Quod peccatū veniale habet creaturam pro vltimo fine negatiue.

mum; (non quidem ad Deum, vt dictum est; nec ad creaturam, secus enim auerteret hominem à Deo, & euaderet peccatum mortale) erit finis vltimus negatiuè. Alij alio pacto philosophati sunt.

Quid peccatum veniale habet pro vltimo fine.

Nobis autem verosimilius videtur, peccatum veniale hominis iusti non referri, vt in vltimum finem, in creaturam, nec etiam secundum quid; sed referri in ipsum Deum: non quidem actu, aut virtute, sed habitualiter.

Non refertur tanquã in vltimum finem in creaturam.

Et quidem non referri quasi in vltimum finem in creaturam, vel ex eo ostendi potest, quòd actus, qui ex suo genere est peccatum veniale, statim fit peccatum mortale, si voluntas ponat vltimum finem in creatura, *id enim quod est veniale ex genere, fieri potest mortale, in quantum constituitur in eo finis*, ait S. Doctor in prima secũdæ quæst. 88. art. 4. & latius explicat quęst. 7. de malo. art. 1. ad 5. Si igitur peccatum veniale sortiretur pro vltimo fine creaturam, vel ad eam referretur, sequitur, vt omne peccatum veniale, sit mortale; quod tamen asserendum non est.

Ad hæc, cum omnis actus humanus (cuiusmodi est etiam veniale delictum, maximè si obueniat, non propter actus imperfectionem, sed ob paruitatem materiæ) qui pro vltimo fine habeat creaturam, sit peccatum mortale, quia auertit à bono incommutabili, profectò si peccatum veniale pro extremo fine, etiam secundum quid, habet creaturam, erit mortale saltem secundum quid.

Cui assimilatur qui peccat venialiter; cui q mortaliter.

Ad extremum, quia ne laboriosè quidem exponi potest, quid sit creaturam esse finem vltimum secundum quid. Huc etiam facit illud Theologorum exemplum, quòd *peccans venialiter assimilatur ei, qui nimis moratur in via; peccans autem mortaliter, recedit à via, & adhæret alteri à Deo.*

Iam

Iam verò non referri in Deum actu, certo certius est. Etenim ea duntaxat actu referuntur in Deum, quæ cum recta ratione & diuina lege cohærent: Veniale autem delictum est deflectio à recto rationis tramite, & à diuina semita aberratio.

Peccatum veniale, neque actu, neq. virtute refertur in Deum.

Nec adhuc refertur virtualiter: siquidem referri quicpiã virtute est, vt in vi alicuius præcedentis actus id fiat; vt cum quis initio recitandi horas canonicas, secum constituit, piè atque attentè diuinum exsoluere officium, interea inaduertenter distrahitur, ac diuagatur, adhuc tamen exsoluit, virtute antegressæ intentionis, quæ in opere perseuerat: Vel cum aliquis votum suscipit, ad sacram v. g. Lauretanæ Virginis ædem religionis ergò proficisci, quilibet eius peregrinationis gressus refertur ad conceptum votum, licet ille re ipsa, *& actu aliud agat. Nec enim oportet, vt in quolibet passu de fine cogitet: sed virtus primæ intentionis manet in opere, quamuis de fine actu nihil cogitetur*, inquit S. Thomas in prima secundæ quæst. 1. art. 6. ad 3. Modo actus hominis iusti, quo se, & sua studia in Deum super omnia dilectum retulit, non extenditur ad venialia delicta, vt nuper dicebamus ex S. Thoma. Quod etiam vel hinc manifestum est, quia peccata venialia sunt actus inordinati, ac proinde nequeunt esse media consentanea, quæ in Deum Opt. Max. eiusuè gloriam referantur: ergo peccatum veniale neutiquam refertur in Deum, velut in vltimum finem virtualiter.

Quid est referri aliquid virtualiter.

Quod si non refertur in creaturam, vt à nobis patefactum est, nec in Deum, actu, aut virtute, reliquum est, vt referatur habitu in Deum ipsum, vt modo probabamus. Docuit etiam id nos S. Doct. apud quem in quæst. 7. de malo art. 1. ad 4. hæc omnino legimus. *Ille, qui peccat venialiter, non fruitur creatura, sed vti-*

Peccatum veniale refertur in Deum habitualiter.

tur ea: refert enim eam habitu in Deum, licet non actu: neque in hoc contra praeceptum facit, quia non tenetur semper actu referre in Deum. Et in secunda secundę quęst. 24. art. 10. ad 2. *Quod, ait, amatur in peccato veniali propter Deum amatur habitu, & si nō actu.* Quod repetit compluribus alijs in locis.

CAPVT QVINTVM.

Quid est peccatum veniale referri in Deum habitualiter: Tum diluuntur argumenta proposita in capite praecedenti pro prima, & secunda opinione.

COeterùm aperire, quid sit peccatum veniale habitu in Deum quasi in finem vltimum referri, res est ardua. Quinque huius rei dicendi modos retulit Medina in prima secundæ S. Thomæ quæst. 1. ad art. 6. Equidem eum solummodo dabo, qui mihi magis ad veritatem accedere videtur.

Quis finis proximus, quis vltimus in peccato veniali.

Scire igitur oportet, quod in peccato veniali, sicut in omnibus humanis actibus, plures inueniuntur fines; quemadmodum alio loco explicauimus. Quare in finibus venialis delicti hoc modo gradiendum est, finis eius proxmus est res ipsa, in qua dictum peccatum occupatur, exēpli gratia, proximus finis officiosi mendacij est conuellere veritatem in re iocosa citra vllius lęsionem. Deinde, hic finis refertur in commodum, aut oblectationem operantis: operans ordinatur in Deum (id enim supponimus) per habitum charitatis; vnde fit, quod delictum quoque veniale in homine iusto refertur ad Deum habitualiter, hoc est mediatè. Atque hoc ipsum est, nisi me fallit animus, quod nos admonuit S. Doctor in prima secundę quęst. 88. ar. 1.

ad

ad 2. dum ita scribit, *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem, quia non excludit* (perpende rationem) *charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.*

Hæc recte, & de homine, qui dū manet in gratia & charitate delinquit venialiter. At quid de eo peccato veniali dicendum est, quod ab homine committitur, qui in peccato mortali existit?

Quid de peccato veniali hominis peccatoris dicēdum est.

Profectò tale peccatum veniale habet pro vltimo fine eodem pacto habitualiter illud ipsum commutabile bonum, & creaturam, ad quam peccator iam per peccatum lethale conuersus fuit. Nec verò consequitur, vt veniale peccatū efficiatur mortale, quia ita refertur ad creaturam: Nam vt aliquid sit peccatum mortale, non satis est habitu tantùm in creaturam velut in vltimum finem referri, sed vlterius necesse est, vt ad eam ipsam vel actu, vel virtute dirigatur: quod optimè inter alios explicat Aluarez in prima secundæ disp. 12. in resp. ad 4.

Ex his diluta quoq. manent primæ opinionis argumenta, quę in capite proximè præcedenti attulimus, nam etsi peccatum veniale, vt primo loco obijcitur, quia est actus inordinatus, nec in Deum, nec in Dei gloriam actu, aut virtute referri potest; nihilominus habitu refertur, quia non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, vt dictum est.

Solutio primi argumenti primę opinionis.

Ad secundum dicendum est, quod quemadmodum nihil prohibet, (quin etiam res ita de facto contingit,) quod causa secunda citra influxum primę efficiat aliquid, vel vt pressius loquar, in aliquo deficiat, id quod euenit, cum illa aberrando ex ordine, quem causa prima pręscribit, peccat lethaliter; ita nihil mirum, si peccatum veniale eliciatur sine actuali, aut vir-

Solutio secundi.

tuali influxu vltimi finis; maximè cum id sit quidam rationis defectus, & aberratio à regula diuina.

Ad tertium ex D. August. quod omnis humana peruersitas sit frui vtendis, & vti fruendis, sunt qui dicũt, hominem in peccato veniali nec frui creatura, nec vti, sed abuti; quoniam ea inordinatè, & præter rationis regulam vtitur.

Solutio tertij. At rectius S. Thomas, qui in quæst. 7. de malo art. 1. ad 10. ex composito ad dicta D. Augustini verba respondet, quod S. August. in illis verbis intelligit solidum malum culpæ, & perfectam humanam peruersitatem, quæ solum in peccato mortali reperitur; per quod homo fruitur vtendis, & vtitur fruẽdis, constituendo vltimum finem in creatura. Cœterùm quia, *ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non vt fruens, quia non constituit in eo finem, sed vt vtens, referens in Deum, non actu sed habitu.* vt idem S. Doctor scribit in prima secundæ, quęst. 88. art. 1. ad 3. ideò hic non habet locum dictum Augustini.

Soluitur argumẽtum secundæ opinionis. Hinc solutum quoque manet secundę opinionis argumentum, quippè concedendum non est, creaturam constitui in veniali peccato finem vltimum, etiam negatiuè; quia vna atq. eadem humana actio, prout semel egreditur ab agente, nequit ad plures fines re ipsa distinctos referri; sed peccatũ veniale refertur ad Deũ, eo modo quo exposuimus. Pręterquamquod, si quęras ab auctoribus illius opinionis, quid est creaturam esse finem vltimum negatiuè? ne vix explicare possunt.

CAPVT SEXTVM.

Potestne peccatum veniale aliquando fieri mortale; & contra mortale fieri veniale?

QVod in præsentia quærimus, tribus modis intelligi potest.

Primò, vtrumne idem numero actus secundum substantiam, seu quod idem est, in genere naturæ, qui prius erat peccatum veniale, possit deinceps fieri mortale, & versa vice? Deinde, num peccatum ex suo genere veniale, vt officiosum mendacium, possit in indiuiduo immigrare in mortale, & contrà. Postremò, an peccatum veniale ob sui multiplicationem effici queat mortale. Hoc quæsitum tripliciter intelligi potest.

1. Quod attinet ad primum, ambigendum non est, eundem numero actum secundum substantiam, posse successiuè esse peccatum mortale, & veniale, tam in actu exteriori, quàm interiori. Idem actus secundum substantiã potest successiuè esse peccatum veniale, & mortale.

Et quidem de actu exteriori res est conspicua, cum hic cõmodè possit esse bonus, & malus, si mutetur intentio finis manente eodem actu exteriori; exempli gratia, manente eadem ambulatione: vel si cesset, aut accedat nouum præcepti vinculum. Qua de re multis edisseruimus retrò, tract. 1. disp. 3. cap. 1.

Idem ipsum de actu interiori liquet; siquidem potest idem actus in initio esse cum imperfecta deliberatione, vt sunt imperfecti motus luxuriæ, aut iræ, ac proinde erit peccatum veniale. Postea verò si voluntas in eodem actu plena deliberatione perseueret, euadit mortale. Et contrà, potest aliquis actus illicitus primò esse plene deliberatus, atque adeò peccatum mortale; tùm verò suborta aliqua passione, vt ira,

Secundò, peccatum è suo genere veniale fit in individuo mortale, cum dirigitur ad aliquod mortale, tanquam ad finem. Vt cùm quis iocosa verba v.g. vel officiosa mendacia eo animo profert, vt ad fornicationem perueniat. Cuius rei ratio sub manu est, quia medium accipit bonitatem, aut malitiam ex fine. Finis autem officiosi mendacij in casu proposito, est peccatum mortale, vnde ipsum quoque officiosum mendacium, quod erat è suo genere veniale, in indiuiduo redditur mortale à fine. Itaque *veniale ex genere fit mortale in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, sicut ad finem.* inquit S. Doctor in art. 4. illius quæst. 88.

Secundò, si dirigatur ad peccatū mortale, tanquam ad finem.

Postremò, fit mortale ratione contemptus. Qualis autem, & quantus esse debeat eiusmodi contemptus, vt peccatum alioquin è suo genere veniale ob eum reddatur lethale in indiuiduo, inter Doctores non omninò conuenit. Equidem cæterorum interpretamenta hîc missa facio, vnico S. Thomæ contentus, qui in secunda secundæ quæst. 186. art. 9. ad 3. ita scribit. *tunc committit aliquis peccatum, vel transgreditur ex contemptu quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, aut regulam.* Vt ergo dicere consueuimus, illum ex passione peccare, cui primum quod mouet, excitatque ad peccandum, est passio; illum verò peccare ex malitia, qui quidem ex habitu, certaque voluntatis malitia præuaricatur, (quod suo loco aperiemus,) sic ille dicetur ex contemptu delinquere, qui legem & legislatorem vsqueadeò contemnit, vt ex huiusmodi contemptu inducatur ad eorum transgressionem.

Tertio ratione contemptus.

Quid sit peccare ex cōtemptu.

Quod tamen non ita accipiendum est, vt quoduis peccatum ex cōtemptu commissum sit lethale; dantur

quippe

gat,non discriminantur specie.) Porrò illud, quod ex suo genere est mortale, fit in indiuiduo veniale, vel propter defectũ perfectæ deliberationis in actu, vt euenit in subito motu odij,vel inuidiæ, quæ aliqquin ex suo genere sunt capitalia, vel propter paruitatem materiæ,vt fit in furto exiguæ rei.

Quod si quęras,quodnam est peccatum ex suo genere mortale,quod autem veniale?

Quodnam peccatum est ex suo genere mortale, quodnam veniale.

Dicimus, totum hoc discrimen oriri ex vtriusque obiecto;quia humanorum actuum genus, & species, vt à nobis superius expositum est,desumitur ex obiecto. Est ergo peccatum suopte genere mortale, quod versatur circa id, quod charitati repugnat. Iam verò, cũ ex charitate teneamur,cùm *Deum Opt. Max.diligere ex toto corde nostro, tùm proximum nostrum,sicut nos ipsos*; fit,vt peccata ex suo genere mortalia sint, quę vel contra dilectionem Dei fiunt,vt eius odium,blasphemia,periurium, idque genus alia: vel contra dilectionem proximi,vt homicidium, adulterium,& similia. Peccatum autem ex suo genere veniale illud erit,quod est de obiecto,quod neque Dei, neque proximi amori,ac dilectioni aduersatur, tamen in se ipso quandam inordinationem continet,vt otiosum verbum,aut officiosum mendacium. Et hæc dicta sint satis de duplici priore quęsito,nimirum vtrum idem numero actus secũdum substantiam, qui prius erat peccatum veniale,possit effici mortale, & contra. Et, vtrùm peccata ex suo genere venialia possint in indiuiduo migrare in mortalia,& contra. Superest, vt de postremo dicamus.

CAPVT SEPTIMVM.

Potest ne peccatum veniale ob sui multiplicationem tandem aliquando effici mortale?

Peccata venialia quantumcunq. multiplicetur, non faciūt vnum mortale.

COmmunis est Theologorum sanctio, peccata venialia, quantumcunque multiplicentur, nunquam posse efficere vnum mortale. Quæ quidem assertio vel his rationibus demonstratur. Primùm peccatum mortale auertit hominem a bono incommutabili, veniale autem nequaquam: Illud amicitiam Dei labefactat, hoc cohęret cum charitate: Illud habet reatum æternæ pœnæ, hoc temporalis: Illud meretur carentiam visionis diuinæ essentiæ; hoc non item: differunt igitur inter se toto ordine, & in infinitum. Quæ autem ita differunt, non possunt ad inuicem transire, ergo, &c.

Omnia peccata venialia totius mundi nō pertingunt ad reatum vnius peccati mortalis.

Deinde, si esset certus aliquis venialium numerus, qui pro vno mortali sufficeret, & ille esset nobis ignotus, iam in quouis veniali peccato, nosmetipsos exponeremus periculo peccādi mortaliter, cum numerum illum nesciremus: atq. hoc ipso peccaremus mortaliter. Hinc pręclarè S. Doctor in prima secundę q. 88. art. 4. *non enim, ait, omnia peccata venialia de mundo, possunt habere tantum de reatu, quantum vnum peccatum mortale.*

Obiectio quod multa pecc. venialia faciāt vnum mortale.

Quòd si obijcias qui plura minuta furta, quæ secundum se sint venialia, committit, eaq. multiplicat, donec grauem aliquam materiam suffuretur, peccat mortaliter. Quòd DD. Theologi accommodato famuli exemplo illustrant, qui singulis quibusque diebus surripiat suo domino obolum: singulis vtique vicibus non nisi venialiter peccat. Attamen si per

totum annum perseueret in furto, contrahit peccatum mortale; quia graue damnum intulit domino suo, ergo multa venialia efficiunt vnum mortale. Huc etiam iuisse visus est D. August. dum in epist. 108. ait, *si collecta*, nempè minuta delicta, *cõtra nos fuerint ita nos grauabunt, & opprimẽt, sicut vnum aliquod grande peccatum*. Et tract. 1. in Epist. D. Ioan. *Multa*, inquit *peccata leuia faciunt vnum grande: multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam*. Ob quę quidem verba, Glossa in Decret. Can. Tres sunt, de pœnitentia, quæst. 1. apertè docet, multa peccata venialia efficere vnum mortale.

Quomodo seruus qui obolum pro vice furatur, possit peccare mortaliter.

Oc ostendũ est, quod si famulus ille, vel quisquis alius in re consimili, secum ipse constituat in principio, fore vt successiuè furetur, ita vt tantum pecuniæ surripiat quantum sit satis pro peccato mortali constituendo absq. dubio iam tum peccat mortaliter: quia vnica voluntate apud se statuit inferre graue damnum alteri. Sin autem tunc intendit solum furari obolum, nec de maiori damno inferendo subsequenti tempore, quicquam cogitat, peccat solummodo venialiter. Et hoc pacto diuersis vicibus delinquit venialiter, donec ad eam perueniat summam, quæ ad mortale sufficiat. Quam postea si retinet, cum aduertit, peccat mortaliter: Non quod ex anteactis venialibus fiat tunc vnum aliquod mortale, sed quia tunc incipit retinere rem alienam; quã restituerè suo domino tenetur sub peccato mortali. *Sicut qui vindemiauerunt vineã alienã tenentur restituere, quanquam singuli non peccauerint nisi venialiter*, inquit Magist. Medina in 1.2.S. Thomæ q.88. ar.4. qui tres quoq. alias huius argumenti solutiones adhibuit. Adi Domin. Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. Et lib. 5. de Iustitia, & iure, q. 3. art 3. & Tolet. lib. 5. summæ cap. 26.

Quomodo peccata venialia disponunt ad mortale.

D. autem August. hoc solum intendit, quod peccata venialia, maximè verò si contemnantur, sensim ac sensim disponunt hominem, vt facilius in aliquod lethale præcipitetur, iuxta illud Ecclesiast. cap. 19 *Qui spernit modica, paulatim incidet*. Disponunt autem venialia ad mortale, primo quia cum aliquis assuescit in venialibus non subijcere suam voluntatem recto ordini (qui enim venialiter delinquit, facit aliquid præter rectum ordinem,) disponitur vt etiam non subijciat in maioribus, vnde subsequitur peccatum mortale. Deinde, quia voluntas peccandi venialiter potest in tantum augeri, vt finē suum constituat in creatura; ac proinde efficiatur peccatum mortale.

Ad Glossam autem Magist. Medina in art. 4. q. 88. iam commemoratæ, paullo durius respondet, *glossa verè*, inquit ille, *stulta est, & non meretur responsionem*. Atque hæc de distinctione paccati venialis, & mortalis, necnon de peccato veniali dicta sint: ergo ad aliam distinctionem progrediamur.

DISPVTATIO SECVNDA

De distinctione peccati in peccatum commissionis, & omissionis: Tum de ipsa omissione.

CAPVT PRIMVM.

Peccatum hoc quidem esse commissionis, hoc verò omissionis: Tum praambulum ad ipsam omissionem.

CERTVM atque dilucidum est, omne peccatum esse contra aliquam legem: quia, *vbi non est lex, nec prauaricatio*, Rom 4. Lex verò siue naturalis & in pectoribus hominum insita, seu diuinitus data, vel etiam positiua, quędam iubet vt fiant, quędam vetat, ne fiant. Hinc factum est, vt pręcepta cuiuscunq. legis, alia quidem affirmatiua, alia verò negatiua appellitentur.

Omne peccatum est contra legē aliquam.

Hæc obstringunt hominem perpetuò, & vt Doctorum consuetudo loquitur, *obligant semper, & ad semper* nullo quippe vel tempore, vel loco licitum est, effectum ab ijs negatum, atque prohibitum edere, vt vides in hisce pręceptis. Non furtum facies, Non occides. Affirmatiua verò obstringunt *semper, sed non ad semper*, id est, pro tēpore statuto, vt animaduertere licet in pręcepto audiendi sacrum. Quæ cum ita sint, efficitur, vt quicunque actu peccat, peccet, vel quia

Quomodo præcepta affirmatiua, quomodo negatiua obligēt.

facit id, quod turpe, ac prohibitum est, vel quia non facit id, quod honestum, ac præceptum est. Illud est peccatum commissionis, istud omissionis.

Peccatum commissionis est natura positiua.

Et quidem natura, atque essentia peccati commissionis, iam est à nobis in Tractatu proximè antegresso disp. 3. cap. 2. exposita, dum ostendebamus, peccatum commissionis secundum suam rationem formalem haud esse priuationem recti, sed naturā aliquam positiuam, contrariè actui virtutis, legiq. diuinæ oppositam. Qui illa recolit, vberiorem hic istius rei explicationem non expectet: Quare.

Omissio duplex, alia Physica, alia moralis.

Nostra nunc opera in expendenda omissione collocetur; quę quidem (quod ad nomen attinet) gemino modo vsurpari consueuit. Vno, in ampla quadam acceptione, & quasi physicè; qua ratione nil est aliud, quam negatio, seu priuatio actus humani, quem quis elicere atque exercere potest; ad quem tamen non teneatur. Quo intellectu legimus, Iob. 23. *Omiserunt autem tres viri respondere Iob.* Et nos dicimur omittere modo adire, & alloqui Summum Pontificem, Legatum, &c.

Omissio moralis in quonā posita est?

Alio modo capitur omissio pressius, ac moraliter, nimirum pro culpabili omissione; quę quidem obuenit, dum aliquis omittit id, quod sine crimine omitti nequit. Iccirco S. Doctor in secunda secundæ, q. 79. art. 3. *Omissio, inquit, non est, nisi boni debiti, ad quod aliquis tenetur*, atque eam ipsam in corpore illius articuli probat, esse prętermissionem debiti boni in ordine ad legem diuinam, vel humanam; vel in ordine ad proximum. De illa omissione germanè pronunciatur illud Christi Domini Matth. 23. *Hæc oportet facere, & illa non omittere.* Et de hac ipsa nos agimus in pręsenti: cuius quidem natura, atq. conditio, vt penitius innotescat, sit,

CAPVT SECVNDVM.

Num omissioni culpabili necessariò insit aliquis actus positiuus: Et quomodo?

De omissione culpabili dupliciter possumus loqui. Primò, secundum eius essentiam, & in specie: Secundò, in indiuiduo, prout ab hoc vel illo homine fit; quemadmodum loqui consueuimus de actu indifferenti, vel in communi, & quo ad eius speciem, vel in indiuiduo, & quatenus ab hoc, vel illo homine exercetur. Si de omissione in priori acceptione sit sermo, nonnulli Doctores vehementer contendunt, ad illius essentiam omninò pertinere aliquem actum positiuum, saltem indirectè volitum: moti his potissimùm argumentis.

Omissio consideratur secundum suam essentiam, vel in indiuiduo.

Primò, omissio culpabilis v. g. audiendi sacri in die festo, essentialiter accepta, est peccatum mortale; ergo secundum hanc rationem est voluntaria. Enimverò peccatum adeò est voluntarium, vt si non est voluntarium non sit peccatum, vt inquit D. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. & lib. de vera relig. c. 14. Voluntarium autem est per actum voluntatis; quare omissio essentialiter accepta includit aliquem actum.

Prim. arg. quod omissio essentialiter cōcernit aliquē actum.

Secundò, omissio lethaliter peccaminosa auertit hominem ab incommutabili bono, Deo, & conuertit ad bonum commutabile, ergo secundum hanc rationem habet aliquem actum. Consequentia est conspicua, quia conuersio ad bonum commutabile fit per actum positiuum; vnde etiam species cuiuscunque peccati desumitur, vt a nobis in Tract. praeced. Disp. 3. cap. 2. pluribus comprobatum est. Antecedens autem, ... ex se liquet, quia secus daretur peccatum

Secundum argum.

tum lethale, quod peccãtem neutiquam à Deo auerteret: Vel daretur auersio sine conuersione, quod contradictionem inuoluit. ergo. &c.

Huc quoque facit, quod aliàs peccato omissionis non corresponderet pœna sensus. Nam vt ex S. Thoma in prima secundæ, quęst. 87. art 4. ad 4. & sępè alibi didicimus, pœna sensus respondet peccato ex parte conuersionis ad bonum commutabile, secundum quod peccator decerpit in actu suo voluptatem quandam inordinatam, ac diuinæ voluntati contrariam. Si itaque in omissione culpabili nullus inerit actus, nulla profectò erit ad bonum commutabile conuersio, adeoq. nulla ei respondebit pœna sensus, quod tamen à recto sacræ Theologiæ tramite lōgè abest. ergo. &c.

Ostēditur in essentia omissionis nullū includi actū.

At verò S. Thomas in prima secūdę q. 71. art. 5. & secunda secundę quęst. 79. art. 3 & in secundo sentet. distin. 35. quęst. 1. art 3. & quęst. 2. de malo art. 1. & sępè alibi, tum eius familia vniuersa & complures alij ex opposito asseuerant, nempe ad essentiam omissionis etiam culpabilis, nullum requiri actum.

Quæ requiruntur ad omissionē culpabilē.

Pręcipua ratio est, quoniam ad omissionem culpabilem tria requiruntur, atque sufficiunt: quę sunt, vt quis possit facere, vt teneatur facere, & vt non faciat. Id quod Angelicus Doctor in prima secundę quęst. 6. art. 3. eleganti illustrat exemplo ex nauium gubernatore deprompto, cui quidem tunc solummodo submersio nauis imputatur, cum illi nauis commissa est, eamq. saluā in portu collocare potest, & nō collocat. Sed hęc tria nullum concernunt actum, quandoquidem, quod aliquis possit quicquam efficere, satis est potentia faciendi, quę porrò ab omni actu seposita est. Quod verò teneatur, id facit solum externum pręceptum, quod in eo, qui obligatur nihil adiungit. Postremò, quòd non faciat, sufficit negatio actus; ideoq.

ad

ad omissionem secundum se, & essentialiter acceptam nullus intercluditur actus, sed *ea est peccatum actuale*, inquit S. Thom. in secunda secūdæ, quæst. 79. art. 3. ad 1. *non quia habet aliquem actum sibi essentialem, sed secundum quod negatio actus reducitur ad genus actus*. Hæc de omissione quo ad eius essentiam.

Sed longè implicatior insurgit difficultas, cum ad omissionem in indiuiduo, & prout ab hoc, vel illo homine fit, vertimus orationem: quia multi, nec contemnendi auctores, vt Durand. in 2. dist. 35. quæst. 2. Marsil. ibidem quæst. 21. art. 2. Ægidius, & Riccar. in eadem distin. Altisiodorensis lib. 2. summę Theologiæ tract. 29. cap. 2. Nauarrus, Argentinas, Valentia, & alij, quos refert Aluarez, & P. Salas. in 1. 2. S. Thomæ q. 71. art. 5. Quid de omissione in indiuiduo dicendum sit?

In ea versantur opinione, quod licet ita plerunq. obueniat, quod homo in indiuiduo nil culpabiliter omittat, sine aliquo actu, (quippe qui aliquem actum in præcepto positum prætermittit, id porrò facit, vel quia meditatur euitare laborem, vel quia vult alijs rebus nauare, aut nauauit operam, quæ obseruationem præcepti impediunt,) tamen nonnunquam commodè posse, & de facto dari in indiuiduo culpabilem omissionem sine vllo vnquam actu. Quoniam intelligere nequeunt, cur homo eo temporis articulo, quo præceptum affirmans occurrit, non possit pro suo arbitratu omnem actum etiam voluntatis suspendere: & tunc erit omissio in indiuiduo absque omni actu. Qui putāt aliquando dari omissionem in indiuiduo sine omni actu.

Alij verò, quorum & pars & auctoritas maior, tali assertioni adhęrent, quod nulla vnquam in indiuiduo detur, nec dari queat omissio culpabilis sine omni actu, saltem interiori voluntatis, concomitante, aut antecedente. Concomitante quidem, vt quan- Nulla datur, nec dari potest omissio culpabilis in indiuiduo sine omni actu.

do quis vult ſtudere,aut ludere ,dum eſt audiendum ſacrum. Antecedente autem,vt ſi quis noctem eo vſque ſtudendo protraxerit,aut vagatus ſit vel cibo ac potu ſe ſe ingurgitarit,ex quo fit,vt mane haud poſſit ad ſacrum euigilare.

Solidum huius ſententiæ fundamētum.

Fundamentum huius aſſertionis eſt, quia quotieſcunque aliquod agens ſuaptè natura eſt indifferens ad agendum,& non agendum,neceſsè eſt, vt antecedat aliqua cauſa,aut ratio,cur agat,quando agit; & etiam aliqua,cur non agat: Tum cur potius agat hoc, quàm alia: Secus enim cum illud ad omnia indifferenter ſe habeat,haud eſt maior ratio, cur potius agat, quàm non agat, & cur potius hoc quàm aliud.

Cum itaque voluntas ſuapte conditione indifferens ſit ad agendum,& non agēdum,&c. omninò neceſsè eſt aſſignare aliquam cauſam, cur agat,quādo agit:& aliquā,cur nō agat,quando non agit,&c.Manifeſtum autem eſt,quod huiuſmodi cauſa,aut ratio nunquam mouebit voluntatem ſine aliquo eius actu: quare impoſſibile ſit,vt in indiuiduo vlla vnquā detur culpabilis omiſſio,ſine omni actu. Et hoc eſt, quod docet S.Thomas in prima ſecuudæ quæſt.71. art.5. dum ita loquitur. *Non eſt peccatum omiſſionis, niſi cum aliquis prætermittit, quod poteſt facere, & non facere: quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod poteſt facere,& non facere, non eſt niſi ex aliqua cauſa,vel occaſione coniuncta,vel præcedente.* Idem ſæpe alibi reculcat. Quod etiam fuit Alb Magn. Mag. in 2.ſent.diſt.35.art.3. Alex. Alen.2. par. quæſt.110. memb.2.Henricus quolibet.12.quæſt 24. Capreolus in 2.diſt.35.quæſt.vnica. Caietan.in 1. par. S.Thomæ.quęſt.63.art.5 Cōrad.Medina. Vaſquez. Zumel, Aluarez, ad primam ſecundæ S.Thomę quęſt.71. art. 5.& quęſt.6.art.3.

Quod

Quod si dicas, causa & ratio agendi, vel omittẽdi hoc, aut illud, est quia sic placet voluntati: quippe potest aliquis domi manens, aut cubans dum præceptum audiendi sacrum impendet, pro innata sua libertate omnem sibi actum, nedum externum, sed internum etiam voluntatis suspendere. Hem, quid prohibet cum ille eiusmodi actus liberè promat? tunc ergo erit omissio culpabilis, in qua nullus intercedet actus. Conspicatius id apparet in omissionibus internis, quę à sola voluntate dependent: vt si quis suspendat actũ contritionis, charitatis, spei, &c. quando tenetur.

Objicitur contra.

Profectò hæc est erroris ansa, quòd isti putant voluntatem posse ab omni actu desistere, & suum suspendere actum sine vllo actu, directè vel indirectè. Quęso, si voluntas suspẽdit pręfatum actum circa sacrum, liberè ac voluntariè suspendit: habet ergo actum, quo vult semetipsam suspendere. Quippè vt verè, ac sensatè viri docti aiunt; *voluntas, neque seipsam, neque alias potentias potest suspendere, nisi mediante actu, vel directè, vel indirectè velit suspendere.* Præterea, voluntatem suspendere suum actum circa aliquid, est nolle illud. Atqui omnis nolitio supponit volitionẽ, sicut omnis negatio affirmationem: Siquidem iccircò nolo infirmitatem, quia volo salutem, Quo fit, vt implicet, voluntatem suspendere sibi omnem actum sine omni actu.

Respondetur, & detegitur erroris ansa.

Argumenta verò in limine huiusce capitis constructa, sic dilues. Et quidem primum, si dicas, omissionem in sua specie, atque essentia spectatam dici voluntariã, non quia includit aliquem actum; sed quoniam est in facultate nostra, illam pręstare aut deflectere. Etenim *aliquid dicitur voluntarium, non solum, quia cadit super ipsum actus voluntatis, sed quia in potestate nostra est, vt fiat, vel nõ fiat, vt dicitur 3. Ethic.* inquit S. Tho

Diluuntur argumenta à principio facta.

Quomodo omissio est volũtaria.

mas in prima secundę quęst. 71. art. 5. ad 2. Vel dicitur omissio voluntaria, quia semper est in indiuiduo (iuxta quam rationem perpetuò concernit actum.) Cuius ratio ea est, quia praecepta affirmatiua feruntur de actionibus, non vtcunque, sed pro tali tempore; tali conditione, &c. *nam actiones*, auctore Philosopho tertio Ethic c. 1. *circa particularia sunt*, *hac autem spontanea sunt*. ideoque omissio semper dicitur voluntaria.

Quomodo omissio habet cõuersionem ad bonum cõmutabile.

Ad 2. si sermo est de omissione in exercitio, habet actualem conuersionem ad bonum commutabile, ratione actus sibi associati. Sin autem loquamur de ipsa secundum eius essentiã, profectò non habet actualem conuersionem ad eiusmodi bonum, sed radicalem dumtaxat, & implicitam: Quia nimirum homo, qui peccatum omissionis committit, radicaliter, & implicitè ita censetur affectus, vt magis amet creaturam, quàm Deum: Secus enim haud transgrederetur id, quod pręcipit Deus. Atque ratione huius radicalis, impliciteq. conuersionis respondet etiam illi pœna sensus. Hanc existimo germanam Angelici Doctoris mentem (quidquid alij dicunt) dum in secunda secundæ quæst. 79. ar. 4. ad 4. ita scribit, *similiter etiam omissioni non solum debetur pœna damni, sed etiam pœna sensus, secundum illud Matth. 7. omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et hoc propter radicem, ex qua procedit; licet non habeat ex necessitate actualem conuersionem ad aliquod bonum commutabile:* Hæc S. Doctor; nec ego de hac abstrusa ac perdifficili re plura.

CA-

CAPVT TERTIVM.

An actus, qui omissioni culpabili in indiuiduo associatur, sit peccatum? Et an peccatum ab omissione distinctum.

VIsum à nobis hucusque est, cuius omissioni culpabili in exercitio annecti atque consociari aliquem actum concomitantem, aut præcedentem: nunc de actu illo v. g. studendi, aut ludendi dum sacrum audiendum est, inquirimus. Quippe non mediocris est inter DD. Theologos altercatio, num ille in semetipso sit peccatum.

Principio sic habeto, nos in præsens loqui de actu, qui alioqui secundum se sit licitus, ac bonus. Hic autem gemino modo ad omissionem spectari potest. Vno, vt præeat omissionem, sitque vera illius causa; quod euenit, dum quispiam ex nimio affectu ad studium prætermittit id, quod est in præcepto. Altero, vt ille actus non sit omissionis causa, sed ex accidenti illi adiungatur, & quasi consequenter assideat. v. g. constituerat secum aliquis non audire sacrum, siue ad declinandum laborem, seu ob rem aliam: postea ne domi torpescat ocio, semet aut studio, aut lusui applicat. *Actus omissioni adiunctus. dupliciter ad eã se habere potest.*

Quo posito dico, actum illum, priori modo spectatum esse in semetipso peccatum, non itẽ posteriori. *Resolutio difficultatis.*

Hoc assertum, quod ad priorem partem attinet, extra omnem controuersiam est. Primo, quoniam studium illud est libera causa peccati, trahitque hominem ad transgressionem mandatorum Dei, peccatum igitur est. Quid? si consilium, quo quis suadet alterum ad aliquod facinus perpetrandum, est verè pec- *Actus alioquin bonus, dũ est causa omissionis, est malus.*

peccatum, quia est causa mortalis peccati, quanto maiori cum ratione præfatum studium, quod directè impellit hominem ad peccatum? Deinde, homo tenetur eo tempore illud deponere. Enimuero tunc tenetur audire sacrum, cui interesse nequit, nisi abijciat studium. Est igitur studium illud contra præceptum, atque adeò peccatum. Profectò huc spectat sensatum illud S. Thomæ effatum, ex quæst. 2. de malo art. 1. ad 7. *Quod laudare Deum quando tenetur alia opera facere, est peccatum.*

Quando actus, qui nō est causa omissionis, non est peccatum.

Quod verò in posteriori assertionis parte ponimus, (quando nempe aliquis facto iam firmo animi proposito ob aliam causam omittēdi sacrum, deinde studet, hunc studendi actum, neq. omissionis esse causam neq. peccatum) negatur à quibusdam Theologis, sed parum syncerè: nam cum actus ille subsequatur firmum animum non audiendi sacrum; & alioquin secundum se sit bonus profectò non est, vnde aliqua malitia deturpetur. Quemadmodum ergo, vt rem totam, exemplo illustrem; intentio boni finis efficitur in semetipsa peccaminosa, ex eo duntaxat quòd sit malę electionis causa, hominemque ad eam impellat; non deprauatur autem, si nullo modo sit causa aut ratio, sed illi ex accidenti associetur, vt legimus in prima secundæ S. Thomę quęst. 19. art. 7. sic in præsens de studio, vel de alio actu respectu omissionis ratiocinandum est.

Fundamētum cōtrāriæ sententiæ.

Quòd si obijcias, ergo qui cooperaretur Petro, qui iam prius secum constituisset incendere vrbem, non peccaret: Neque sacerdos nefariè ageret, qui nauigaturus, secum prius determinasset non recitare horas Canonicas, dein Breuiarium in mare proijceret. (Vterque enim actus subsequitur firmam animi sententiam perpetrādi opus) quæ tamen vel à communi hominum sensu damnantur: pari igitur ratione quā-

uis

uis illud studium subsequatur firmum animi propositum omittendi sacrum. quia tamen omissioni annectitur, atque ad eam ipsam coadiuuat, profectò erit peccatum.

Non est idem de vtroque iudicium. Nam qui Petrò ad incendendam vrbem cooperatur, verè aut totam, aut aliquam vrbis partem comburit, & est vera, atque immediata causa combustionis, eoque scelestè agit; secus est in proposito nostro, vt ex dictis apparet. Sacerdos verò (maximè si nauigatio sit diutina) peccat, quia semetipsum reddit impotentem, vt subsecuto quoque tempore, diuinas laudes possit recitare. Verumenimuerò cum voluntas hominis in hac vita nimium quantum lubrica & incerta sit, accidere posset, vt ille postea resipisceret, ac vellet pensum diuinarum horarum persoluere, (septies enim in die, vt sacra volumina canunt, cadit iustus, & resurgit) nec posset sua culpa, quia librum abiecerat, idcircò peccat. Prætereaquam quod proiectio illa indicat despectum quendam. Propulsatur, & ostéditur discrimen.

10 Sed dic age, quando dictum illud studium est peccatum, quia re ipsa existit omissionis causa, est ne distinctum peccatum à peccato omissionis, ita vt homo tunc peccet duplici peccato, an verò sit vnum, atque idem peccatum cum peccato omissionis?

Formaliter ibi non est nisi vnum peccatum (fac materialiter sint duo) vna malitia; nam quia tum omissio, tum actus studendi est peccatum, quę in omissione quidem est formaliter, in studio denominatiuè. Suppetit exemplum apprime accommodatum, quo hęc res declaratur. Actus interior homicidij, & actus exterior eiusdem homicidij, materialiter nuncupari queunt duo peccata, nihilominus formaliter sunt vnum atque idem peccatum; vterque actus est vnica eadem-

Actus inducens ad omissioné, & ipsa omissio sút duo peccata, materialiter; vnum autem formaliter: Et quomodo.

eademque malitia infectus, quę in actu quidem interiori insidet formaliter, in exteriori verò denominatiuè, sicut à nobis in Tract. præcedenti Disput. 2. cap. 2 expositum est. Sic in præsentia de omissione, & de studio dicendum existimo.

Porrò studium illud haud esse distinctum peccatum à peccato omissionis, argumento est, quòd nemo fidelium actum illum in confessione exponit. Tuentur hanc nostram assertionem Doctores in Theologia grauissimi. Adi Medinam, Vasquez, & Aluarez, in art. illo 5. quæst. 71 ex 1. 2.

Objicitur quod formaliter sint duo peccata.

Sed dices, studium in casu commemorato est peccatum commissionis, ergo distinctum ab omissione, atque adeò duo peccata. Consecutio clara est, quia commissio, & omissio sunt peccata distincta. Antecedens autem, vel ex eo liquet, quia peccatum commissionis illud est, quod opponitur præcepto neganti: omissionis verò, quod affirmanti. Atqui studium, quando quis rei sacræ interesse obstringitur, est contra præceptum negatiuum, cum studendi virtus, & vt S. Doctor loquitur in secunda secundæ quæst. 166. studiositas præcipiat, haud esse studendum tempore indebito, cuiusmodi est illud: quare dictum studium est peccatum commissionis.

In præceptis affirmatiuis virtualiter claudūtur negatiua, & contra.

Dicendum tamen est, quod, vt docet S. Thomas in secunda secundæ quæst. 44. art. 3. ad 3. & quæst. 62. art. 8. ad 1. in præceptis affirmatiuis virtute includuntur negatiua, & contra; secundum quod affirmatio, & negatio reducitur ad idem genus. Enimuero, qui iubet parentes coli, is virtualiter prohibet, eosdem esse vlla iniuria lacessendos. Et qui negat furtum esse faciendum, secundariò affirmat restituendam esse rem alienam. Sic in pręcepto affirmatiuo audiendi sacrum, complicatur præceptum negans,

quo quisq. prohibetur eo tempore studere, alijsuè rebus distineri, quæ obseruationem præcepti impediāt.

Quia igitur in casu recensito, studium, & omissio absolutè vni eidemque pręcepto audiendi sacrum aduersantur, vtrumque est vnum peccatum formaliter. Quid? quanquam etiam darem, esse contra duo pręcepta, non inde consequitur esse duo peccata, vt videre licet apud S. Thomam in prima secundæ quæst. 72. art. 6. *quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt.* Diluitur obiectio facta.

Quæ hucusque diximus de actu, qui omissionem concomitatur, eadem puta dicta de actu, qui illam pręcedit, & est causa subsecutæ omissionis, vt quādo quis nocte diu studio, aut lusui voluit operam dare, vnde mane subsecuta sit omissio præcepti. Sed hinc emergit alia non leuis difficultas, pro qua sit.

CAPVT QVARTVM.

Quonam tempore censetur quisquam peccare peccato omissionis? eo ne cùm liberè dat eius causam, an verò cum re vera est ipsa omissio?

SVnt qui dicunt, tunc hominem peccare, cum voluntariè tale aggreditur opus, quod cum obseruatione præcepti sit incompossibile: aut cum præstat sufficientem causam, ex qua omissio subsecutura sit, postea vero cum pręceptum occurrit, nullum adesse peccatum. Diversæ sententię de proposita quæstione.

Contra contendunt alij, tunc solum peccare, cum vrget pręceptum affirmatiuum, licet causa omissionis pręcesserit. Alij denique aiunt vtrobique peccare.

In qua quidem opinionem ambiguitate, vt tutò incedas, animaduerte, in quacunque omissione culpa-

bili duo posse, ac debere perpendi. Alterum est interior culpa peccati, quę in sola voluntate residet, siquidem *voluntate peccatur, aut rectè viuitur.* Alterum est exterior pręcepti omissio. Si igitur loquamur de omissione quo ad culpam interiorem, profectò tunc homo in illam initiatiuè incurrit, quādo liberè aggreditur incompossibile opus, aut quando pręstat causam ex qua sit subsecutura omissio.

Quando cōtrahitur culpa interior omissionis.

Ratio in manu est, quia culpa sequitur voluntatem ergo culpa omissionis, tunc contrahitur, cum quis habet voluntatem peccandi. Hanc verò censetur habere, cum voluntariè aggreditur incompossibile opus, aut suggerit causam omittendi: quare tunc contrahit omissionis culpam. Ad hęc, in morali materia. (quantum ad laudem, aut vituperationem spectat,) idem est velle aliquid directè & in se ipso, ac velle indirectè & in sua causa. Sed qui directè dicit, volo omittere sacrum, tunc afficitur omissionis culpa, cum id vult; ergo idem dicendum est de eo, qui omissionem in sua causa amplectitur.

Si autem sermo est de peccato omissionis, quantum ad externam omissionem, non est peccatū omissionis, neque homo dicitur omittere, nisi tunc, cum tempus affirmantis pręcepti occurrit.

Quando quis propriè dicitur omittere.

Primò, quia cum istiusmodi pręceptum non nisi pro statuto tempore obstringat, non violabit illud, qui ante statutum tempus non facit. Deinde, qui culpabiliter dormitum iret, sciens, ac videns fore, vt omittat sacrum; postea casu, vel vi ab alio excitatus audiret, profectò non omitteret. Signum itaque est, tunc committi omissionis peccatum, cum pręceptum de actu externo vrget. Ita etiam sentit sanctus Doctor in secunda secundæ quęst. 79. art. 3. ad 3.

Obijcies, ergo quando instat pręceptum, peccabit

bit aliquis actu, etiam si tunc dormiat, vel vino madidus iaceat sine omni rationis vsu. Quod tamen vel à communi hominum sensu longè abesse videtur.

Quomodo homo peccet, etiã si dormit, vel ebrius iacet.

Ita res habet: etiamtum actu peccat, modò culpabiliter pręstiterit causam. Quamuis autem tunc non habeat rationis vsum, potuit habere, & sua culpa nõ habet. Quocirca hoc ipsum quod est non habere tunc rationis vsum, est illi voluntarium indirectè. Indicauit hoc S. Thom. loco quem dixi, *cum imputatur*, inquit, *isti tunc ad culpam, propter causam precedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Quod adeò perspicuum est, vt Stagirites ipse in re nõ absimili, hęc omninò committat litteris in libro primo Mag. moral. cap. 34. *vino namq. mersi, si quid mali perpetrarint, sine controuersia afferunt iniuriam: quia ipsi sibi eius ignorantia causa extiterunt. In ijs enim fuit, ne tantum proluerentur.*

Id quoque notatu dignissimum est, quod in externa omissione nulla inest alia malitia pręter illam, quę in pręcedenti causa, siue in interiori culpa pręfuit; quia ibi nulla alia suppetit voluntas, quàm illa pręcedens, quę, vt nuper asserebamus, omissionis culpam tũc initiatiuè contraxit, cum liberè eius causam dedit.

Contra cõstitutã doctrinã duo valida argumenta.

Sed ex hac doctrina ita constituta duo videntur sequi incommoda. Alterum, quod aliquando posset quis simul in gratia Dei, & in peccato lethali existere. Etenim fac quod Petrus, posteaquam causam omissionis culpabiliter suppeditasset, ante externę omissionis tempus doleat, ac verè conteratur, se causam illam dedisse, & nihilominus non posit omissionem impedire. Hic propter dolorem, & contritionem restitutus est in gratia Dei: Et simul propter subsecutam omissionem est in peccato mortali. Quod vel ex

bili duo posse, ac debere perpendi. Alterum est interior culpa peccati, quę in sola voluntate residet, siquidem *voluntate peccatur, aut rectè viuitur*. Alterum est exterior pręcepti omissio. Si igitur loquamur de omissione quo ad culpam interiorem, profectò tunc homo in illam initiatiuè incurrit, quādo liberè aggreditur incompossibile opus, aut quando pręstat causam ex qua sit subsecutura omissio.

Quando cōtrahitur culpa interior omissionis.

Ratio in manu est, quia culpa sequitur voluntatem: ergo culpa omissionis, tunc contrahitur, cum quis habet voluntatem peccandi. Hanc verò censetur habere, cum voluntariè aggreditur incompossibile opus, aut suggerit causam omittendi; quare tunc contrahit omissionis culpam. Ad hęc, in morali materia (quantum ad laudem, aut vituperationem spectat,) idem est velle aliquid directè & in se ipso, ac velle indirectè & in sua causa. Sed qui directè dicit, volo omittere sacrum, tunc afficitur omissionis culpa, cum id vult; ergo idem dicendum est de eo, qui omissionem in sua causa amplectitur.

Si autem sermo est de peccato omissionis, quantum ad externam omissionem, non est peccatū omissionis, neque homo dicitur omittere, nisi tunc, cum tempus affirmantis pręcepti occurrit.

Quando quis propriè dicitur omittere.

Primò, quia cum istiusmodi pręceptum non nisi pro statuto tempore obstringat, non violabit illud, qui ante statutum tempus non facit. Deinde, qui culpabiliter dormitum iret, sciens, ac videns fore, vt omittat sacrum; postea casu, vel vi ab alio excitatus audiret, profectò non omitteret. Signum itaque est, tunc committi omissionis peccatum, cum pręceptum de actu externo vrget. Ita etiam sentit sanctus Doctor in secunda secundæ quęst. 79. art. 3. ad 3.

Obijcies, ergo quando instat pręceptum, pecca-

bit

bit aliquis actu, etiam si tunc dormiat, vel vino madidus iaceat sine omni rationis vsu. Quod tamen vel à communi hominum sensu longè abesse videtur.

Ita res habet: etiamtum actu peccat, modò culpabiliter præstiterit causam. Quamuis autem tunc non habeat rationis vsum, potuit habere, & sua culpa nō habet. Quocirca hoc ipsum quod est non habere tunc rationis vsum, est illi voluntarium indirectè. Indicauit hoc S. Thom. loco quem dixi, *cum imputatur*, inquit, *isti tunc ad culpam, propter causam precedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Quod adeò perspicuum est, vt Stagirites ipse in re nō absimili, hęc omninò committat litteris in libro primo Mag. moral. cap. 34. *vino namq. mersi, si quid mali perpetrarint, sine controuersia afferunt iniuriam: quia ipsi sibi eius ignorantia causa extiterunt. In ijs enim fuit, ne tantum proluerentur.*

Quomodo homo peccet etiā si dormit, vel ebrius iacet.

Id quoque notatu dignissimum est, quod in externa omissione nulla inest alia malitia præter illam, quę in pręcedenti causa, siue in interiori culpa pręfuit; quia ibi nulla alia suppetit voluntas, quam illa pręcedens, quę, vt nuper asserebamus, omissionis culpam tūc initiatiuè contraxit, cum liberè eius causam dedit.

Sed ex hac doctrina ita constituta duo videntur sequi incommoda. Alterum, quod aliquando posset quis simul in gratia Dei, & in peccato lethali existere. Etenim fac quod Petrus, posteaquam causam omissionis culpabiliter suppeditasset, ante externę omissionis tempus doleat, ac verè conteratur, se causam illam dedisse, & nihilominus non posit omissionem impedire. Hic propter dolorem, & contritionem restitutus est in gratia Dei: Et simul propter subsecutam omissionem est in peccato mortali. Quod vel ex

Contra cōstitutā doctrinā duo valida argumenta.

eo datur intelligi, quoniam ob eam ipsam exteriorem omissionem punitur excommunicatione, aliauè pœna ecclesiastica. Excommunicatio autem supponit peccatum mortale, ergo simul esset in gratia Dei, & in peccato mortali. Quod tamen est impossibile. Hoc ipsum vides in peccato commissionis. Emittat Petrus voluntariè telum, vt Clericum interficiat; aut propinet alicui data opera venenum, prius verò quam telum ad clericum pertingat, aut hic ex veneno moriatur, P. doleat de suo peccato, conteratur, ingemiscat. Profectò erit in gratia Dei; propter pœnitentiam & in peccato mortali, quia verè est homicida.

Alterum incommodum est, quia sequeretur quod quamuis aliquis reipsa preceptum. v. g. audiendi sacrum seruasset, nihilominus ita peccaret, ac si re vera illud prætermisisset. Patet. Eat aliquis dormitum culpabiliter, ita vt mane ad sacrum euigilaturus non sit. Hic iam tum contraxit totam omissionis culpam. Suscitetur deinde casu, aut vi, & in effectu sacrum audiat: nihilominus quia iam affectus erat tota omissionis culpa, tam grande peccatum committit quamuis re ipsa sacrum audiuerit, ac si illud omisisset. Quod tamen recto hominum iudicio haudquaquam consonum videtur.

Quid de eo dicendũ quẽ postea quàm dedit sufficientem omissionis causam, pœnitet ante omissionis tẽpus, nec tamẽ eam impedire potest.

At hæc nihil officiunt. Ad prius, quicquid alij dicunt, respondendum est, externam illam omissionem in casu proposito, haud esse peccatum, neque homini apud Deum imputari: quia cum externa omissio, totam peccati rationem sortiatur à volitione precedẽti, porrò illa penitus reuocata, non est vnde relinquatur peccaminosa. Quocirca si ille verè doluit, & syncerè contritus est ante externam omissionem, quæ deinde subsecuta est, nihil ei apud Deum nocet: idcircò ille erit solum in gratia Dei; minimè verò in peccato;

Prela-

Prohibitur autem in excommunicationis sententiam, quamuis existat in gratia. Primò, quia dedit causam voluntariam & culpabilem occisionis clerici; Deinde, cum Ecclesia neutiquam scrutetur hominum corda, nescit an verè hominem illum sui peccati pœnituerit: ideòque iudicat ab externa actione, & rectè.

Aliquis existẽs in gratia potest excõmunicari, & quare?

Ad posterius dicito, hominem illum, qui data sufficienti omissionis causa postea casu, aut vi excitatus, re ipsa præceptum obseruat, nón peccare omissionis peccato. Ratio est, quia contrahebatur, interior culpa omissionis, ratione exterioris effectus, qui erat statuto tempore defuturus: At hic nō defuit, nec igitur culpa fuit omissionis. Quod si vllam contraxit culpam cum huiusce omissionis causam præstitit, ea sanè est, quod se exposuerit periculo non obseruandi præceptum. Atque hæc de distinctione peccati in peccatum commissionis, & omissionis, necnon de ipsa omissione dixisse plus satis: pergo ad aliam peccati diuisionem, quare sit.

Qui culpabiliter dedit omissionis causã, si postea obseruet præceptũ, nō peccat.

DI.

DISPVTATIO TERTIA.

De diuisione peccati in peccatum ex ignorantia, ex passione, ex malitia: Tum de singulis istis.

CAPVT PRIMVM.

Diuisio ignorantiæ, & explicatio partium diuisarum.

Ignorantia aliud est à nescientia.

IGNORANTIA aliud est à simplici nescientia, quemadmodum priuatio aliud est à negatione. Simplex nescientia est mera absentia cognitionis quarumcumq. rerum, quas aliquis nescit: ideòq. ex sui conditione nullum importat defectum in esse moris: vnde in Angelis quoq. ipsis eam admisit magnus ex Areopago Dionysius, lib. de Cœlesti Hierarch. cap. 7. Ignorantia verò est priuatio cognitionis earum duntaxat rerum, quas aliquis est aptus natus scire, & nescit, eoque defectum etiam nescio quem intrinsecè secum concernit: Propterea Angelicus Doctor in tertia part. quæst. 15. art. 3. remouit à Christo Domino omnem ignorãtiam, etiam respectu scientiæ acquisitæ, quia in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ.

Variæ ignorantiæ diuisiones.

De ignorantia tractant DD. Theologi cum Magistro in secundo sent. dist. 22. & cum S. Thoma in prima secundæ, quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. Et quia il-

la

la iamdudum inter mortales quammaximè caput extulit, variæ eius partitiones à Doctoribus excogitatæ sunt, ita vt alia sit puræ negationis, seu priuationis, alia prauæ dispositionis, alia voluntaria, alia inuoluntaria: alia vincibilis, alia inuincibilis, alia facti, alia iuris: & hæc, alia iuris naturalis, alia diuini, alia positiui, alia humani, & si quæ sunt aliæ, quæ in progressu apprehendentur. Communior verò & accommodatior ignorantiæ diuisio videtur illa, quod alia est antecedens, alia concomitans, alia denique consequens: quæ singillatim exponendæ sunt.

Ignoratio antecedēs ea est, quæ inducit hominem ad volendum, faciendumq; aliquid, quod nec vellet, nec faceret, si illud sciret. Hæc est simpliciter inuoluntaria, & actus ex ea subsecutus, omninò existit inuoluntarius, quia nullo modo est cognitus: nihil autem est voluntarium & volitum, quin præcognoscatur. Exemplum huius rei hoc habe: Prospectat aliquis filium circa Vrbis mœnia errantem tempore obsidionis, & certò ratus esse aliquem hostem, interficit. vt de Meroe tradit Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 2. id perpetrauit ex ignoratione antecedenti, quę inuincibilis etiam solet appellitari.

Quid ignorantia antecedens: Et quomodo est voluntaria.

Concomitans autem ignorantia est, quæ non impellit hominem ad volendum, perpetrandumq; opus, sed accidit, & comitatur; ita tamen, vt quāuis ea abesset, & operans cognouisset illud opus, nihilominus adhuc illud faceret. V. G. constituerat secum aliquis interficere suum inimicum, vbi vbi eum reperijsset. Postea in frequenti nemore emittit telum, existimans se occidere feram, occidit illum ipsum inimicum, quem libens interfecisset, si ibi adesse sciuisset. Hæc ignoratio non facit actum voluntarium, quia ad hoc exigitur præcognitio, quæ ibi nulla est.

Quid concomitans: Et quomodo est volūtaria.

Sed

Sed neq. facit inuoluntarium, quia perpetrata cędes illius hominis neutiquam est contraria voluntati operantis: (enimuerò inuoluntarium pollet id, quod est contra voluntatem agentis.) Sed tamen facit non voluntarium, & vt Philosophus loco nuper inducto loquitur, *facit non sponte operans*.

Quid ignorantia consequens: Et quomodo est voluntaria.

Tandem ignorantia consequens est quæ consequitur actum voluntatis: Quippe consequens nuncupata est, non in ordine ad effectum, & actum peccati, vt nonnulli perperam sibi persuaserunt, (Hæc nil qui vnquam consequi valet ad actum peccati, si, vt mox dicam, est causa peccati?) Sed ita dicta est, quia consequitur, & præsupponit aliquo modo actum voluntatis.

Hæc dupliciter sequitur actum.

Gemino autem modo consequitur actum voluntatis. Vno quidem directè, cum videlicet voluntatis actus fertur in ipsammet ignorantiam. Quod tunc accidit, cum aliquis data opera vult quippiam ignorare, vt postea liberius peccet, habeatque peccandi excusationem: propterea hęc suo nomine nuncupatur ignorantia affectata. Hæc indicatur illo Dauidis dicto, Psal. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret*. Et Iob. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Alio modo consequitur actum voluntatis indirectè, vt cum quis potest scire, & tenetur scire, nec tamen adhibet diligentiam vt sciat. Iccircò huiuscemodi ignorantia est voluntaria; quippe ita non agere, & non velle, & non scire, voluntaria sunt. Atque hæc proprio nomine appellatur ignorantia vincibilis, quia ex negligentia ducit ortum. Et si negligentia fuerit grauis, subsecuta ignoratio dicitur crassa, & supina. His ita constitutis, est.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo, & quanam ignorantia est causa peccati: Quod est peccatum ex ignorantia, & an ipsa in se sit peccatum.

SVpponimus ex fide catholica, verè committi non nulla peccata ex ignorantia, contra quàm quidam hæretici opinati sunt, vt videre licet apud B. Bernardum epist. 27. ad Hugonem, & serm. 36. super Canticum. Assertio autem fidei vel ex his fit conspicua. Actorum 3. Petrus in concione ad Iudæos, de nece Christo Domino illata, *Et nunc*, ait, *fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. Paulus de seipso, primæ ad Timoth. 1. *plus*, inquit, *blasphemus fui, & persecutor; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Et Regius Psaltes psal. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris*. Hinc Leuit. 4. instituuntur oblationes & sacrificia pro peccatis ex ignorantia factis. Quo supposito, summa cum ratione quærimus, quomodo ignorantia est causa peccati? Verè committi aliqua peccata ex ignorātia.

Respondeo, esse causam per accidens, quia remouet scientiam, quę si adfuisset, non committeretur tale pecatum. Quod vt penitius introspicias, recole doctrinam Aristotelis ex octauo Physic. cap. 4. quod causa mouens, vna quidem est per se, altera per accidens. Vtraque explicatur ibi in motu grauium, & leuium; quorum generans est causa per se mouens, grauia quidem deorsum, leuia autem sursum. At verò qui remouet impedimentum, & id quod prohibet ne illa ascendant, aut descendant, dicitur causa Ignorātia est causa peccati per accidens.

Q per

per accidens talis motus: *ita causat ille, qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit à vase in aqua*, inquit, Philosophus eo loci, tex. 30. Sic ignorantia, quia remouet id, nimirum scientiam, quæ si tunc in homine adesset, is porrò haud faceret tale opus, vt explicat S. Thomas in prima secundæ quæst. 76. art. 1. ideò ignorantia est causa per accidens operati.

At dices, omnis ne ignorantia est causa peccati, an aliqua sic, aliqua autem non?

An ignorantia antecedens sit causa peccati.

Principio de antecedente ac inuincibili non conuenit inter Doctores: Caietan. Conrad. Aluarez, & nonnulli alij super 1. 2. S. Thomæ quæst. illa 76 art. 1. sentiunt, eam esse veram causam peccati. Mouentur vt ita sentiant, quia cum aliquis dicitur peccare ex aliquo, demonstratur, illud esse causam peccati. At qui ex ignorantia inuincibili interficit hominem, verè dicitur id commisisse ex ignorantia, & propterea & veniam meretur, & à peccato homicidij excusatur, ergo huiusmodi ignoratio verè est causa peccati.

Statuitur negatiuè.

Alij verò Theologi ex aduerso tuentur, ignorationem antecedentem nec esse, nec dici causam peccati: quæ sententia nobis videtur vera.

Primùm, actus ex tali ignorantia subsecutus nullo modo est peccatum, vt omnes Theologi concordi ore fatentur. Qui enim in eo quis peccabit, quod scire non potuit? ergo talis ignorantia nullius peccati causa erit, cum ibi nullum adsit peccatum.

Deinde, peccatum est actus peccantis. Atqui vbi committitur aliquid ex ignorantia inuincibili, nullus est peccans: quare nullum etiam erit peccatum. cuius ergo illa peccati, aut peccantis constituetur causa?

Ad extremùm huiuscemodi ignoratio causat omnino inuoluntarium; tantum itaque abest vt sit cau-

ſa vllius peccati, vt potius omninò auferat peccatum.

Nec fundamentum ſuperioris ſentẽtiæ quicquam negotij faceſſit. Diſtinguimus, quod aliud eſt actus homicidij, aliud eſt eſſe peccatum. Ignoratio antecedens eſt vtique cauſa per accidens actus homicidij, quia ſi illa abfuiſſet, talis nex haud committeretur: At non eſt cauſa vllius peccati, cum peccatum præter actum homicidij, importet etiam deformitatem, quæ ibi nulla reperitur.

Ignorantia antecedẽs eſt quidem cauſa actus homicidij, ſed nõ peccati.

Neque etiam ignoratio concomitans dicenda eſt cauſa vllius peccati: Cuius aſſerti ratio in manu eſt, quia huiuſmodi ignorantia, vt capite proximè antegreſſo vidimus, neque ad volendum, neque ad perpetrandum opus inducit hominem. ergo nullius peccati exiſtit cauſa. Hinc etiam S. Thomas in prima ſecundæ quæſt. 76. art. 4. *ignorantia*, inquit, *quæ non eſt cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget.* quare,

Neq. igrorantia concomitans eſt cauſa peccati.

Relinquitur, vt ſola ignorantia conſequens ſit propriè cauſa peccati. Id quod ita colliges: Fiunt aliqua peccata ex ignorantia. At non ex antecedente, neque ex concomitante, vt oſtenſum eſt, fiunt igitur ex ignorantia conſequenti, atque adeò hæc ſola propriè eſt cauſa peccati.

Sola ignorantia conſeqũẽs eſt cauſa peccati.

Ex his etiam apparet, quodnam ſit propriè peccatum ex ignorantia: nempe eſt illud, quod ex ignorantia conſequenti, vincibili, tanquam à cauſa per accidens proficiſcitur. Conſultò addidi *vincibili*, vt indicarem, peccatum ex ignorantia conſequenti affectata ortum, potius dicendum eſſe peccatum ex malitia, quàm ex ignorantia, vt quidam viri docti aſſerunt. Cuius rei hæc affertur ratio, quia cum aliquis dicitur peccare ex aliquo, demonſtratur, illud eſſe primã peccandi originem. Sed in ignorantia affectata prima

Quodnam eſt peccatũ ex ignorãtia.

peccandi origo non est ignorantia, sed malitia, seu praua voluntas ignorandi. Quod indicarunt etiam DD. Gregor. lib. 25. moral. cap. 16. & August. in libro de Gratia, & libero arb. cap. 3. illis verbis, *Nescire, est ignorantiæ: nolle autem scire, est superbiæ.*

Postremò quæres, ignorantia consequens, quæ est causa peccati, estne in semetipsa peccatum?

Quæ, & quomodo ignorãtia in se ipsa sit peccatum.

Ignoratio affectata absque vlla hæsitatione in se, metipsa est peccatum. Ignoratio verò vincibilis, cùm sit earùm rerum, quas homo potest ac debet scire, vt rectè agat, & tamen non adhibet debitam diligentiam vt sciat, efficitur in seipsa peccatum, saltem ratione negligentiæ. Et qui hoc pacto ignorat, peccat. Ità colligunt Sacri Doctores, ex illo Pauli primæ ad Corinth. 14. *Siquis ignorat, ignorabitur*, hoc est, si quis ignoret præcepta diuina, quæ scire, & obseruare tenetur, ignorabitur, idest, reprobabitur à Domino. id quippe pollet hîc ignorari, iuxta illud Domini, Matth. 25. *Nescio vos.*

CAPVT TERTIVM.

Quænam ignorantia excuset à peccato? Et an excuset ex toto, vel solùm diminuat?

Fundamẽtum generale.

Discurrendum erit hîc de ignorantia iuxta tripartitam ipsius diuisionem, supra à nobis enucleatam, videlicet antecedentis, cõcomitantis, & consequentis. Porrò sternendum est hoc fundamentum, quod quia peccatum est voluntarium, ignorantia, quæ reddit actũ ex se subsecutum omninò inuoluntariũ, omninò etiam excusat à peccato. Ignorantia verò quæ solum imminuit voluntarium, solum etiam imminuit peccatum: Ignorantia demum quæ auget volũtarium, auget quoque peccatum. Quæ autem ignorantia ef-

ficiat vsquequaq. inuoluntarium, quę diminuat, quęq. adaugeat, supra tetigimus, & nunc diligentius dicendum est. itaque,

Ignorantia antecedēs ac inuincibilis, alia est iuris, seu legis, alia facti. Illa ab Stagirite 3. Ethic. cap. 2. appellatur ignoratio vniuersalium, cum nimirum aliquis inuincibiliter nescit extare legem, siue diuinam, siue humanam, quę iubeat, aut prohibeat, aliquid fieri. Ignorantia autem facti, vocata ab eodem auctore ibidem ignoratio particularium, est, cum aliquis probè tenens cognitionem legis, ignorat opus in particulari: Vt si quis habens scientiam iuris, optimè cognoscit homicidium esse illicitum, nihilominus interficit ex ignorantia hominem existimans se interficere feram. Vtraque hæc ignorantia excusat ex toto à peccato. Ita communiter Doctores cum Magistro in secūdo dist. 22. & cum S. Thoma in 1. 2. quæst. 76. art. 4. quia vtraque causat omninò inuoluntarium.

Ignorantia antecedēs siue iuris, siue facti excusat ex toto à peccato.

Porrò circa huiuscemodi ignorationē facti, sedulò animaduerte, quod hęc excusat ab eo tantūmodo peccato, cuius statuitur causa, nequaquam verò ab alia eiusdem actus malitia, si aliunde alia affuerit. Exempli causa, interficit aliquis patrem inuincibiliter ratus esse hostem: excusatur affatim à parricidio, minimè verò ab homicidio. Ita Iudas, vt in sacra Gen. cap. 38. legitur, dum accessit ad Thamar, excusatus fuit ab incæstu, at non à fornicatione. Ab incæstu quidem, quia affectus erat inuincibili ignorantia facti circa circunstantiam personæ, ignorans illam esse nurum suam. Non autem à fornicatione, quia probè callebat illam esse non suam. Qua de re videndus est D. Chrysost. homil. 62. super Gen. August. libro contra mendacium, cap. 14. & S. Thomas in secunda secundę, quęst. 154. art. 2. ad 3. Hęc de ignorantia antecedenti.

Ignorantia facti à qua nam malitia excusat, à qua autē non.

Maior

Maior controuertitur difficultas de concomitante, an ea excuset, accusetve à peccato, de qua vehementer diffident auctores. Equidem dicendum existimo, quod ignoratio cōcomitans neque excusat quemquam à peccato, neque accusat; sed habet se per accidens: ideòque relinquit actum in sua natura. Sic habet S. Thomas in art. 3. & 4. quæstionis nuper commemoratę 76. Et quod non excuset, colliges vel ex Aristotele 3. Ethic. cap. 2. quo loci ait, illam ignorantiam excusare à peccato, cum operans, posteaquam scit, dolet se fecisse. Atqui cum ignorantia concomitante operatur aliquid, haud dolet, posteaquam scit se fecisse; vt in eo animaduertere licet, qui secum constituerat, vitam eripere inimico vbicumque eum reperijsset, postea existimans interficere feram, interficit illum ipsum,

Ignorantia concomitans nō excusat à peccato.

Quod autem neque accuset, ita vt qui ex huiusmodi ignorantia occidit hominem, adhibita sufficienti diligentia, ne sequatur homicidium, non peccet, multipliciter suadetur. Primùm, conditionalis nil facit circa res agendas ad meritum aut demeritum, præmium aut pœnam. Neque enim Deus Opt. Max. pręmiat, aut punit quemquam ob ea quę faceret, si diutius ageret inter mortales, sed ob ea duntaxat, quę re ipsa operatus est, vt eleganter ostendit August. lib. 7. de Prędestin. SS. cap. 14. ergo neque imputatur huic homini ad peccatum interfectio inimici, ex eo quod occidisset illum, si ibi adesse cognouisset, cum re ipsa, neque cognouerit eum adesse, neque voluerit occidere, sed tantum versabat in animo interficere feram. Pręterea, volitio interior, qua hic homo voluit necare feram, sine vlla mala voluntate occidendi hominem, antequam emitteret telum, non erat mala. ergo quando emisit telum, pro illo instanti non

Sed neque accusat.

est

est mala. ergo etiam subsecutum opus non est malum. Hęc consequentia liquet ex ijs, quę in Tractatu superiori, Disp. 2. cap. 2. docuimus, cum abundè patefecerimus, opus externum nihil bonitatis aut malitię addere supra actum interiorem.

Nec te hic turbent aliqui aiętes, quod qui ex ignorantia concomitante interficit inimicum, licet tunc non habeat voluntatem actualem eum perimendi; nihilominus habet virtualem, qua quidem iam apud se constituerat, illum de medio tollere, vbi vbi offendisset: atque ratione huius virtualis voluntatis imputari illi ad culpam, & accusare. Responsio quorundã.

Nulla hic adest virtualis voluntas perpetrandi facinus. Et prior illa fuit per diligentiam ab ipso nunc appositam reuocata. quippe qui sufficientem adhibet diligentiam, ne necet hominem, vt hic supponimus fieri, ex consequenti vult non necare tunc inimicum: idque satis est, vt subsecuta inimici nex non imputetur illi ad peccatum. Atque hęc de ignorantia concomitante: de qua multa Magist. Medina, multa Aluarez, multa P. Vasquez ad 3. art. quęstionis 76. citatę. Nos progrediamur. Impugnatur.

Superest vt de ignorãtia consequente dicamus, cuius duas veluti partes fecimus in cap. 1 huius Disp. affectatam, & vincibilem. Affectata, cum videlicet aliquis de industria ignorat, vt liberius peccet, nõ modo non tollit peccatum, aut diminuit, sed omninò illud auget. Primùm, quia qui ita peccat, magis videtur contemnere Deum, cum mandata eius non solum non custodit, sed scire etiam quasi dedignatur. Deinde, quia huiusmodi ignorantia proficiscitur ex voluntate magis deprauata, & magis ad peccatum affecta. Ignorantia affectata auget peccatum.

Relinquitur ergo quod sola ignorantia consequẽs vincibilis, quę est indirectè volita propter negligentiam Ignorantia vincibilis minuit peccatum.

tiam

tiam; imminuat peccatum, quia hęc sola imminuit voluntarium,& eſt cum minori contemptu,ac per conſequens reddit minus peccatum. Quare, vt ſemel dicam,ignorãtia antecedens ac inuincibilis non minuit,ſed omninò tollit peccatum, atque ex toto excuſat. Concomitans autem nec diminuit peccatum,nec auget: ac proindè, neque excuſat à peccato, neque accuſat: Affectata auget malitiam peccati: Sola vincibilis imminuit peccatum. Atque de ignorantia hæc ſatis: De qua præter Doctores ſcholaſticos locis iam allegatis,adeundi ſunt PP. S. Clemens lib. 4.& 5.Recognitionum, Auguſt. tum alibi, tum lib. contra mendacium,& lib.de natura & gratia cap.67. Irenæus lib.2.contra Valentinum cap. 24. Ambroſ. lib. 1. de Interpretatione cap. 5. Bernardus epiſt. 27.ad Hugonem, Chryſoſt.homil. 7. in Matth. Origenes Dialog. 3. de Reſurrectione,& alij.

Obiectio, quod ignorantia non conſtituit peculiare peccatum.

Sed obijcies, Ignorantia eſt aliquid commune cuicunque peccato,ergo non diſtinguet, neque cõſtituet peculiare peccatum. Antecedens patet Prouerb. 14. *errant qui operantur malum*. Et Ariſtoteles 3. Ethic.cap. 2. *Vnuſquiſque*,ait, *prauus, quid agendum, à quibuſque abſtinendum ſit, ignorat*. vnde fluxit commune proloquium, quod omnis malus eſt ignorans. Imo verò Socrates, vt auctor eſt Philoſophus lib. 6. operis nuper commemorati,cap.vlt. & lib. 7. cap.3. necnon S.Thomas in quæſtione illa 77.art. 2.aiebat, *omnia peccata eſſe ignorantias, & omnes virtutes eſſe ſcientias*. Cuius quidem dicti ratio facile aſſignari poteſt,quia cum voluntas non feratur niſi in bonum verum,aut apparens, profectò nunquam volet, niſi prius intellectus apprehendat id quod re ipſa bonum non eſt,veluti bonum,atque voluntati vt tale proponat. Hoc autem eſt ignorantia,& error intellectus; ergo

ergo ignorantia est aliquid commune omni peccato.

Respondeo, quod ignorantia, secundum quam errant qui operantur malum, omnisque prauus est ignorans, & vagatur per omnia peccata, non est causa peccati; ideòque ea non constituit peculiare peccatum, quemadmodum facit illa, de qua hucusque edisseruimus, sed est aliquid annexum, siue consequens ad causam peccati, siue illud proficiscatur ex passione, siue ex malitia, vt docet S. Doctor quęst. 76. art. 4. ad 1.

Responsio.

Porrò ignorantia eatenus reperitur in omni peccato, quia aliquando excludit scientiam, qua homo simpliciter scit hoc quod agitur esse malum: & tunc ignorantia est causa peccati, & efficitur peccatum ex ignoratĩa, vt retro docuimus. Aliquando autem excludit scientiam, qua homo scit hoc nunc esse malum; & hoc pacto euenit, cum peccatur ex passione. Aliquando demum excludit sciẽtiam, qua aliquis scit hoc malum non esse sustinendum propter consecutionem illius boni, scit tamen simpliciter hoc esse malum, & ita dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat. Doctrina est S. Thomæ in 1. 2. quæst. 78. art. 1. ad 1. Hinc liquidò cernis, quomodo ignorantia constituit peculiare peccatum, & quomodo commiscetur in omni peccato. Quæ tamen vt penitius intelligantur, sit.

Quomodò ignorantia reperitur in omni peccato.

CAPVT QVARTVM.

Quodnam est peccatum ex passione: quod ex malitia.

Definitur peccatũ ex passione.

NOn est quod hìc pluribus immotemur: nam si vera sunt, quæ hucusque de peccato ex ignorantia edisseruimus, peccatum ex passione illud erit, quod ortum ducit ex motione appetitus sensitiui, trahentis voluntatem in consensum; ac proinde eius libertatem diminuentis. Vnde istiusmodi peccatum nuncupari quoque solet peccatum ex infirmitate, vt explicat S. Thomas in prima secũdæ, quæst. 77. art. 3. Hoc peccatum indicatur à Daniele cap. 13. *Concupiscenti a subuertit cor tuum.* Et Iacobi 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus.*

Porrò appetitum sensitiuum, irascibile nempe & concupiscibile, mouere voluntatem, inque suum consensum rapere, nimium frequenti docemur experientia. Quotusquisque enim est, qui se ira, amore, odio, cupiditate, non aliquando turbari & impelli sentiat ad faciendum aliquid, quod si recta iudicij trutina pensitet, nullus faceret?

Homo duplici scientia dirigitur ad rectè agendum.

Verùm, vt modum etiam huiusce turbationis & impulsus calleas, scito, quod homo, vt docet Arist. 3. Ethic. cap. 2. duplici scientia dirigitur ad rectè agendum, vniuersali videlicet & particulari. ita vt in suis deliberatis actionibus procedat per quendam syllogismum operatiuum, cuius conclusio, quæ dicitur iudicium, siue electio, semper sit de re singulari; siquidem actiones sunt in singularibus. Conclusio autem de re singulari non colligitur ab vniuersali nisi me-

diante

diante aliqua propositione singulari, iccircò homo, vt rectè operetur, eget cum vniuersali scientia, tum particulari, V.g. vniuersali scientia scit, pauperi esse subueniendum: deinde in particulari scit hunc esse pauperem: & colligit, ergo huic est subueniendum: ita in reliquis tā probis, quàm prauis operationibus.

Modo ex vtriusque propositionis defectu continget actionem vitiari. In peccato ex passione, homo scit scientia vniuersali fornicationtm, exempli causa, minimè esse committendam: & tamen deficit circa minorem, seu particularē, quòd à passione præpeditur ratio, ne actu & in particulari consideret hunc fornicationis actum, quem in vniuersali & habitualiter scit. Deficit etiam circa maiorem, & vniuersalem quia propter passionem ita afficitur, vt nequeat sub illa vniuersali sumere, & peruenire ad conclusionem; sed assumit sub alia vniuersali, quam illi suggerit motio appetitus, & sub ea concludit. Hinc Stagirites 7. Ethic. cap. 5. ait syllogismum incontinentis habere quatuor propositiones: Duas vniuersales, quarū vna est rationis, altera est passionis. Illa, quod fornicatio v.g. non est committenda: Hæc, quod delectatio est sectanda. Sic ergo motio appetitus sensitiui turbat, ligatque rationem.

Syllogismus incontinentis habet quatuor propositiones.

Cæterùm huiusmodi motio, vt ad propositum redeam, duobus modis se habet ad rationem & voluntatem: Aliquando eam antecedit, & quodammodo extorquet voluntatis consensum: & tunc propriè committitur peccatum ex passione, de quo hic verba facimus: vnde istiusmodi motio diminuit quoque peccatum, quia diminuit voluntarium. Aliquando autem sequitur, & excitatur à voluntate, vt cum quis semet irritat, & excitat in se concupiscentiam carnis: & tunc fit peccatum potius ex malitia

Passio antecedens imminuit peccatum: consequēs verò auget.

quàm ex passione, quia prima radix peccandi non est passio, sed mala voluntas, quæ excitat passionem: vnde etiam peccatur grauius.

Peccatũ ex praua consuetudine, & ex habitu non est ex passione, sed ex malitia.

Idem iudicant, & rectè, viri docti de passione, quæ quidem ob prauam ac diuturnam consuetudinem, vel propter malum habitum contractum, fit vehementior in peccando: quod nimirum illa non facit peccatum ex passione, sed ex malitia, quia talis motio appetitus non est violenta, sed à principio fuit voluntaria: ergo peccatum, quod inde sequitur, neutiquam est ex passione, sed ex malitia. Hoc ipsum tradit S. Thomas in dicta parte, quæst. 78. art. 2. Quid? idem indicat Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 9. inquiens, Intemperantem non ex passione, sed ex malitia peccare.

Quod est peccatũ ex malitia.

Ad extremum, quando quis peccat non ex aliqua ignorantia, neq. ex passione, sed ex plena libertate, sciens ac prudens, tunc dicitur peccatum ex malitia. *Vnde dicitur ex certa malitia, vel industria peccare, quasi scienter malum eligens*, inquit S. Doctor in art. 1. quęstionis 78. quia nimirum voluntas inordinata eligit, pręponitque aliquod minus bonum, cuiusmodi est temporale, maiori bono, idest spirituali: & scienter vult in hoc pati detrimentum, vt illo potiatur. Propterea Philosophus 7. Ethic. cap. 8. appellat hoc peccatum ex electione.

Hoc peccatum grauius est, quã peccatum ex ignorantia, aut ex passione.

Quod quidem peccatum proculdubio longè grauius est, quàm peccatum ex ignorantia, aut ex passione. Tum quia hic nulla ex parte minuitur voluntarium, quemadmodum euenit in peccatis ex ignorantia, aut ex passione commissis: Tum etiam, quia fit cum maiori contemptu Dei: Tum demum, quia qui ex certa malitia peccat, est malè dispositus quantum ad ipsum finem, qui est principium in operabili-

bus:

bus: defectus autem circa principium semper est pessimus. Adeundi sunt S. Thomas quæst. 78. art. 4. S. August lib. 83. qq. 26. & S. Greg. 25. moral. cap. 16. in illa verba Iob 34. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo.*

Omne peccatũ absolutè vel ex mera ignorantia, vel ex passione, vel ex malitia.

Ex his, quæ hucusque docuimus, collige, omne peccatum actuale aut esse ex ignorantia, aut ex passione, aut ex malitia. Quanquam aliqui Theologi, vt refert S. Thomas in secundo, dist. 43. q. 1. art. 6. opinati sint, hanc peccati partitionem intelligendam esse tantummodo in statu naturę corruptę: quia, inquiunt, peccatum Angelorum non fuit ex ignorantia; quòd in eis nulla extitit ignorantia, vt ostendit S. Thomas in prima part. q. 63. art. 1. ad 4. Neque fuit ex passione, cũ in illis nulla suppetat passio: Nec deniq. ex malitia, non enim Angeli elegerunt malum scientes ac prudentes; quod requiritur ad peccatum ex malitia. Idem probant de primo Adæ peccato. Profectò illud non fuit ex ignorantia, quia, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. *Adam non est seductus*. Neque fuit ex passione, cum omnis inordinata passio subsecuta sit vt pœna illud peccatum. Nec denique ex malitia, cum Adam non peccauerit ex electione mali. ergo &c.

Nihilominus dicendum est, quod peccatum Angelorum, & peccatũ Adę, quamuis non fuerint ex passione, neque ex malitia, neque ex ignorantia positiua, nihilominus fuerunt ex ignoratione negatiuè, siue ex inconsideratione, quia videlicet nõ considerauerunt ea, quę habitualiter sciebant, vt optimè exponit Aluarez in 1. 2, quæst. 78. art. 1. Et hæc sint satis de diuisione, peccati in peccatum ex ignorantia, ex passione, & ex malitia.

APPENDIX.

De quibusdam alijs peccati diuisionibus.

Peccatum aliud est contra Deum, aliud contra proximum, aliud contra ipsum peccantem.

Diuiditur adhuc peccatum alijs quibusdam diuisionibus, quanquam minus frequentibus. Ac primò quidem peccatum aliud est contra Deũ, aliud contra proximum, aliud contra ipsum peccantem. Partitio traditur ab Isidoro in lib de sum. bono: & explicatur à S. Thoma q. 72. primæ secundæ art. 4 ex triplici rectitudinis ordine, quem homo seruare debet; erga Deum, erga proximum, & erga seipsum. Quem triplicem ordinem eleganter prosequitur D. Bernard. serm. 1. in festo Apost. Petri, & Pauli.

Potest hæc quoque assignari ratio dictæ partitionis: quod virtutes aliæ quidem habent pro obiecto Deum, vt fides, spes, charitas, religio: Aliæ autem proximum, vt iustitia, & misericordia: Aliæ demum ipsum possidentem virtutem, vt temperantia, & fortitudo. Peccatum igitur prout opponitur virtutibus primi generis, dicitur contra Deum: ita est hæresis, blasphemia, sacrilegium, &c. Prout autem opponitur virtutibus secundi generis, est contra proximum, vt furtum, & homicidium. Prout denique opponitur virtutibus tertij ordinis, dicitur contra ipsum peccantem, vt luxuria, gula, &c. Quare licet omne peccatum communi quadam ratione sit contra Deum, vt vel ex eius definitione patet, sicut in Tractatu proximè antegresso vidimus, nihilominus secundum peculiares has rationes constituit dictam diuisionem.

Peccata alia carnalia, alia spiritualia.

Præterea, peccatorum alia dicuntur spiritualia, alia verò carnalia. Quæ distinctio desumitur ex 2.

Corinth.

Corinth.7. vbi dicitur. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.* Hinc D. Greg. 31. Moral.c.31. *Septem,* inquit, *capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, & duo carnalia.*

Ex quo etiam intelligimus vtriusque membri appellationem: siquidem peccata carnalia dicuntur ea, quorum obiectum ac finis est oblectatio carnalis, siue quæ in carne, idest in gustu, & tactu absoluuntur, vt gula, & luxuria: Spiritualia autem ea sunt, quorum delectatio consumatur in sola apprehensione alicuius rei ad votum habitę; vt cum quispiam, inordinatè delectatur in laude humana, in honore in diuitijs. sic est ira, odium, &c. Scio à nonnullis Doctoribus peccata carnalia appellari omnia peccata externa, qua de re eleganter Tertullianus in lib. de pœnitentia: sed tamen prior acceptio est communior, & explicatur à S. Thoma in q.72. art.2.

Quare ita appellantur.

Circunfertur hęc quoque peccati diuisio, quod peccata alia sunt cordis, alia oris, alia operis. Quæ partitio patet ex definitione peccati data à D. August. & à nobis supra Tract.1. cap.2. exposita, in qua peccatū dicitur esse dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Traditur etiam à S. Hieronymo lib. 13. super cap.4. Ezech. vbi ait, quod in hirco, vitulo, & ariete, significantur tria generalia delicta, quibus vniuersum hominum genus subiacet: aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus. Postremò, sic est communis Patrum consensus, & Ecclesiæ.

Peccata alia cordis, alia oris, alia operis.

Duplicem autem potest edere sensum. Primus est, vt illa tria significent veluti tres gradus eiusdem peccati: ita ut peccatum cordis sit inchoatio, oris autem sit manifestatio, operis denique sit complementum & consummatio. Quippe corde deliberat secum aliquis committere adulterium: ore indicat: opere com-

Duplex sensus huius diuisionis.

complet: quæ tria non differunt inter ſe ſpecie. Sic explicat S. Doctor in prima ſecundæ quæſt. 73. art. 7. Secundus eſt, vt illa tria indicent peccata diſtincta, & in ſua ſpecie perfecta. Cordis dicuntur illa, quæ in corde cõſumantur, vt infidelitas, hæreſis, odium Dei, idque genus alia: peccata autem oris ſunt, quę ore abſoluuntur, vt contumelia, periurium, blaſphemia: poſtremò, peccata operis erunt, quę in ipſomet opere fiunt, vt adulterium, homicidium, &c. Hunc etiam ſenſum tradidit S. Doctor in eadem parte quęſt. 90. art. 3. ad 1. Atque hęc ſint ſatis de peccati diuiſionibus, & de toto ſecundo Tractatu.

Finis Tractatus Secundi.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De subiecto Peccati.

DISPVTATIO PRIMA.

Quomodo potentiæ superiores hominis sint subiectum peccati.

CAPVT PRIMVM.

An voluntas sit immediatum subiectum peccati: Et an ipsa sola sit subiectum omnis peccati.

LOQVIMVR in hoc tractatu de subiecto peccati actualis, (nam peccatum originale, vt suo loco aperietur, per se primò residet velut in subiecto in ipsa essentia animæ;) de quo agūt Doctores Theologi cum Magistro in secundo sent. distin 35. & 42. & cum S. Thoma in prima secundæ quæst. 74.

Verùm ne in ipso vocū limine erres, aduertito, Voluntatem & intellectum appellari in homine potentias superiores (quamuis istæ postea subdiuidantur in Rationem superiorem, & inferiorem, vt inferius explicabo) per respectum ad appetitum sensitiuum, eiusque facultetes, quæ in eodem homine dicuntur potentiæ

Quæ sint potētiæ superiores in homine.

potentiæ inferiores. De prioribus instituta est præsens disputatio: de posterioribus dicemus in ea, quę proximè sequetur. Porrò quia voluntas est omnium humanorum actuum regina ac moderatrix, summa cum ratione de ea primò edisseremus: de qua, vt in titulo vides, duo quærimus. Atque,

Voluntas est immediatum subiectũ quorundã peccatorum.

Quod spectat ad prius, est catholicũ dogma, quod voluntas sit immediatum subiectum quorundam peccatorum.

Euincitur vel ex illo Christi Domini, Matth. 5. *omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* In corde suo, nempe, in voluntate sua, vt est communis SS. Patrum interpretatio, Item, in cap. 15. *de corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria; hæc sunt quæ coinquinant hominem.* de corde exeunt, hoc est ex voluntate. ergo in eademmet voluntate immediatè subiacent ac suscipiuntur. Consequentia liquet, quia actus voluntatis sunt immanentes: Omnis autem actio immanens, vt docet Arist. lib. 9. Metaphys. tex. 16. & S. Thomas in prima par. q. 87. art. 5. in ea ipsa potentia recipitur immediatè, à qua prodit. ergo præfati actus peccaminosi immediatè insident in voluntate. Huc etiam facit illud S. August. lib. 1. Retract. cap. 9. *quod volutas est, qua peccatur, & rectè viuitur.* Quæ assertio clarius elucescet ex his, quæ circa secundam dubitationem subijciam, videlicet in sola ne voluntate subiectatur peccatum, an in alijs quoque potentijs?

Opinio, & fundamentum, quod omne peccatum sit subiectiuè in voluntate.

Qua in re sunt qui putant, omne omninò peccatum esse in voluntate subiectiuè: ita videre licet apud Caietanum in prima secundę S. Thomæ, quæst. 74. art. 1, Quorum fundamentum hoc est, quia omne peccatum est actus voluntarius: Omnis autem actus

volun-

voluntarius est actus immanens voluntatis, & à voluntate. vnde omne peccatum erit subiectiuè in voluntate: quia omnis actus immanens, vt modo dicebam, est subiectiuè in illa ipsa potentia, cuius est actus.

Accedit auctoritas S. Doctoris, qui art. illo 1. conspicuè ait, *omne peccatum esse actum immanentem*, videlicet voluntatis: omne igitur peccatũ est in ipsamet voluntate. Item, in quarto sent. distin. 18. quæst. 1. art. 2. conceptis verbis asserit, *omne peccatum esse in voluntate*, ergo, &c.

Alij verò, quibus adhęsit etiam Magist. Medina in Comm. illius art. 1. negantem partem tuentur. Primùm, quia idem est subiectum actus, & habitus, auctore S. Thoma in art. 2. illius quęst. 74. Sed multi habitus vitiorum incubant velut in subiecto in intellectu, & in appetitu sensitiuo, ergo in ijsdem erũt etiam actus. Quid? profectò in intellectu est ignorantia culpabilis, error, pertinacia, hęresis. Immò verò S. Thomas in secunda secundæ quęst. 10. art. 2. ex instituto probat, infidelitatem esse in intellectu subiectiuè. In appetitu quoque sensitiuo moratur concupiscentia illicita, furor iræ, appetitus vindictę, idque genus alia, quæ procul dubio peccata sunt. Alii secus existimãt, & quare.

Postremò, non omnia peccata insidere in sola voluntate, sed esse etiam in alijs potentijs, ex eo probat S. Thomas in art. 2. citato, *quia virtutes nõ modo sunt in voluntate, sed in alijs etiam potentijs. ergo etiam vitia, quia contraria sunt circa idem.*

Dixerunt alij, peccatum formaliter esse tantummodo in actu voluntatis, ac proinde hac ratione residere in sola voluntate: materialiter autem seu denominatiuè subiectari etiam in alijs potẽtijs. Ita Scotus in 2. dist. 42. quęst. 2. Alij alio pacto philosophati sunt, Alij distinguunt.

quorum altercationibus relictis.

Peccatum sumitur vel formaliter, vel causaliter.

Scito, nos gemino modo de peccatis loqui posse. Vno quidem formaliter: altero autem causaliter; pro eo videlicet, quod est causa vt actus sit peccatum, atq. in exercitio imputetur ad culpam: quæ causa procul dubio est esse voluntarium. Pro qua quidem distinctione recolenda sunt ea quę de bonitate, & malitia actuum interiorum, & exteriorum docuimus supra Tract. 1. Disput. 2. cap. 2.

Formaliter est in voluntate, & in alijs potentijs.

Quo supposito, dico, quod si sermo sit de peccatis in prima acceptione, hoc est formaliter, non omne peccatum residet subiectiuè in sola voluntate, sed reperitur etiam in alijs potentijs. V.G. peccatum hęreseos est in intellectu, non modo quà actus quidam realis est, & (vt nonnulli parùm acutè loquuntur) in esse naturę; sed reuera est in intellectu quà formaliter est peccatum. Et hoc solum conuincunt argumenta secundę opinionis, supra à nobis recensita.

Sin autem verba facimus de peccatis in secunda acceptione, idest causaliter, hoc pacto omne peccatum est subiectiuè in sola voluntate; quia ab hac sola proficiscitur voluntarium; ac proinde in ea sola suscipitur.

Causaliter est in sola volũtate.

Sic intelligendus est S. Thomas locis pro prima sententia relatis. Atque hoc solum conuincit fundamentum illius inibi adductum. Fatemur quippe omne peccatum esse actum voluntarium: fatemur etiam omnem actum voluntatis esse immanentem: at cum infertur, ergo omne peccatum est subięctiuè in sola voluntate; distinguendum est, causaliter vero verius est: formaliter autem non solum reperitur in voluntate, sed etiam in alijs potẽtijs, vt dictum est.

Soluuntur arg. primæ opinionis.

Adde, quod actus voluntarij *non tantũ dicuntur illi, qui eliciuntur à voluntate, sed etiam illi, qui à volun-*

tate

tate imperantur, vt loquitur S Thomas in art. illo 2. quęstionis 74. & explicat quæst. 6. art.4. eiusdem partis.

Distinctionem, quam attuli de peccatis formaliter, & causaliter, inuenio apud S. Thomam quęst.15. de Verit.art.3. ad 3. quo loci hæc omninò committit litteris, *omne peccatum dicitur esse in voluntate, non tanquam in subiecto, sed tanquam in causa, & in primo mouente*. Consimilia scribit quæst.7. de malo art.6. ad 2. & in secundo sent.dist.22. quæst.2. art.1. ad 1. & alibi sæpe. Atque hæc de voluntate, an, & quomodo sit subiectum peccati: venio nunc ad intellectum, sit ergo.

CAPVT SECVNDVM.

Num peccatum possit esse in intellectu, seu potius in ratione.

PRo intelligentia tituli scito, intellectum, & rationem in homine, quamuis sint vna ac eadem potentia, nihilominus ita discriminari; quod intellectus propriè importat simplicem alicuius rei apprehēsionem, & sine discursu: Ratio autem procedit ab vna re intellecta ad aliam; ac proinde discurrendo: est enim discurrere, quasi de vno in aliud currere. Hinc beatæ illæ mentes, Angeli, ob suæ naturę perfectionem, *non habent necessè procedendi ex vno in aliud, sed simpliciter, & absque discursu veritatem rerum apprehendunt*, auctore D. Dionysio lib. de diu. nom.cap 7. Homines verò ad intelligibilem veritatem cognoscendam perueniunt, procedendo de vno in aliud: vnde etiam rationales dicuntur. Doctri-

Quomodo differunt intellectus, & ratio.

na est S. Thomæ in prima parte quæst. 79. art. 8. Et in 2. sent. dist. 24. quæst. 3. art. 3. ad 2.

Error intellectus est in deductione.

Ex quo vlterius infertur, quod quemadmodum in speculatiuis nequit obtingere error primorum principiorum in intellectu, quo etiam pacto ab Stagirite 3. de anima tex. 51. dicitur, *quod omnis intellectus est rectus*, ita in practicis, inellectus semper est rectus circa prima principia practica, & consequenter in illo non contingit peccatum. In deductione autem conclusionum, (quo iam pacto discurrit, ac propriè appellatur Ratio,) potest errare: quo fit, vt in illa possit etiã esse peccatum. Propterea in titulo dixi, *in intellectu, seu potius in ratione*.

Ratio habet duplices actus.

Aduerte præterea, quod ratio dupl ices habet actus quosdã elicit ipsa per se circa suũ obiectũ. Quosdam autẽ habet, quibus primò dirigit alias hominis vires: dirigit namque voluntatem, quæ postea imperat, applicatque cunctas hominis facultates ad suas operationes. Propterea titulus propositæ quæstionis duplicem habet sensum. An videlicet peccatum esse queat in intellectu vt in subiecto, & an vt in dirigente.

Dantur in ratione peccata vt in subiecto.

Et quidem prioris partis determinationem habes ex ijs, quæ in capite nuper absoluto attulimus. Enim verò ignorantia culpabilis, error, hæresis, infidelitas, & id genus alia, profectò in intellectu, siue in ratione sunt velut in subiecto, vtpote actiones illius immanentes, quæ in eo ipso recipiuntur, à quo producũtur. Sunt etiam peccata in eadem ratione vt in dirigẽte: idque duplici modo, vt exponit S. Doctor in art. 5. illius quæst. 74. Primò, *quando inordinatos actus virium inferiorum imperat*. Secundò, *quando eos post deliberationem non coercet*.

Hinc etiam habes, qui vnquam peccatum morosæ

dele-

delectationis sit in ratione;id quod ex S.Aug.lib.12. de Trinit.cap.12.probat D.Thomas in ar.6. dictæ q. quia videlicet cum ratio in homine sit directiua tam actuum exteriorum, quàm interiorum passionum,deficit in huiuscemodi directione, idque dupliciter. *Vno modo,quando imperat illicitas passiones,sicut quando homo ex deliberatione prouocat sibi motum iræ, vel concupiscentiæ. Alio modo,quando non reprimit illicitum passionis motum:sicut cū aliquis postquam deliberauit,quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur,& ipsum nō expellit: & secundum hoc dicitur peccatum delectationis morosæ esse in ratione*,inquit in corpore illius art. S.Thomas Porrò de morosa delectatione circa obiecta illicita, tàm absoluta,quàm conditionali, quæ, & quomodo sit peccatum veniale, aut mortale,multa Summistę verbo Delectatio, vel Cogitatio morosa, quæ percensere non est instituti nostri. Equidem vlterius pergo,si te prius hoc admonuero, quod quemadmodum ratio deficit in delectatione morosa,ideòq. in ea vt in dirigente est peccatum, consimili ratione deficit in omnibus alijs passionum motibus illicitis;tam concupiscibilis,quàm irascibilis,vt in motu desiderij insurgente de re haud licita,in motu irę,odij,&c. qua tamen de re paulo inferius.

Quomodo peccatum morosæ delectationis est in ratione.

Verum neque id silentio prętereundum est, quod S.August.lib.12.de Trinit. cap. 4. atque cum eo S. Thomas in prima part.quęst.79.art.9.distinguunt rationem ex diuersis officijs in rationem superiorem,& rationem inferiorem, *quod ratio superior est,quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis: Conspiciendis quidem secundum quod ea in se ipsis speculatur: consulendis verò,secundum quod ex eis accipit regulas agendorum. Ratio verò inferior dicitur, quæ intendit*

Quid ratio superior, quid inferior, secundum S.August. & S.Thomam.

tem-

temporalibus rebus. Consimilia verba habet S. Doctor, & in prima secundæ quęst. 74. art 9 & quęst. 15. de Verit. art. 5. in corp. & art. 3. ad 5. & quęst. 26. art. 9. ad 7. & alibi sępe.

Ratio superior adhuc dupliciter consideratur.

Quo supposito, conuenit inter Theologos, peccatum mortale tam in ratione superiori, quàm in inferiori inueniri posse: Quęrunt autem cum S. Thoma in quęst. illa 74. art. 9. & 10. num in ratione superiori peccatum etiam veniale intercedere queat. Et quia ratio superior adhuc gemino modo spectari potest: Vno quidem secundum quod est directiua virium inferiorum, hoc est, prout versatur circa obiecta inferiorum virium, quas dirigit; siue prout consentit in actum peccati, Alio autem secundum se, nempe secundum quod versatur circa proprium ac formale suum obiectum, quod vt nuper dicebamus, sunt rationes ęternę: siue, vt docet idem S. Doctor in art. illo 10. ad 3. & quęst. 7. de malo art. 11. & quęst. 19. de Verit. art. 5. sunt veritates diuinitus reuelatę. Qua distinctione adnotata.

Quomodo in ratione superiori possit esse peccatum veniale.

Si loquimur de ratione superiori in priori sensu, vt videlicet est inferiorum virium directiua, procul dubio potest in ea esse peccatum veniale. Ratio in promptu est, quia dirigere potentias inferiores ad peccatum veniale, est peccatum veniale. Item, consensus in actum peccati venialis, est peccatum veniale: sed consensus in actum peccati pertinet, & est in ratione superiori, vt explicat S. Thomas in art. 7. quęstionis nuper commemoratę, ergo in ratione superiori prout est directiua inferiorum virium benè potest esse peccatum veniale.

Sin autem sermo sit in secundo sensu, dicendum est primò, in ratione superiori circa proprium ac formale eius obiectum potest esse peccatum veniale secundum

cundum simplicem intuitum, siue in motibus subitis, vt cum quis patitur subitum motum desperationis, odij Dei, infidelitatis, &c. *Quamuis enim infidelitas secundum suum genus sit peccatum mortale, tamen subitus motus infidelitatis est peccatum veniale, quia peccatum mortale non est nisi contra legem Dei. Potest autem aliquid eorum, quæ pertinent ad fidem, subitò rationi occurrere sub quadam alia ratione, antequam super hoc consulatur, vel consuli possit ratio æterna, id est, lex Dei*, inquit, S. Doctor in art. illo 10.

Dicendum secundò, In ratione superiori circa proprium ac formale eius obiectum, cum adest deliberatio, nunquam interuenire potest peccatum veniale, sed quotiescunque est, semper est mortale. Ita Conradus, Aluarez, Medina, Vasquez, & alij super dictum art. 10. | Quomodò autem non potest.

Et probatur, obiectum proprium ac formale rationis superioris, vt ex S. Thoma dictum est, sunt veritates diuinitus reuelatæ. Sed negare istas, aut deliberatè de hisce dubitare, perpetuo est peccatum lethale: ergo in ratione superiori circa proprium ac formale eius obiectum, cum deliberatione, nunquam erit peccatum veniale. | Probatur primò.

Adde, quod peccatum ex suo genere mortale efficitur veniale, vel propter defectum deliberationis, vel propter paruitatẽ materiæ, vt à nobis supra in hoc ipso Tract. Disp. 1. cap. 6. patefactum est. Atqui in casu proposito, in ratione superiori adest deliberatio; & materia est grauissima tum peccata, quę veritatibus diuinitus reuelatis aduersantur, sunt ex suo genere mortalia: ergo ibi nunquam interuenit peccatum veniale, sed perpetuò erit mortale. Hoc ipsum docuit nos S. Doctor in corp. illius art. 10. dũ inquit, *circa proprium obiectum, & si sit peccatum mortale ex ge-* | Probatur secundò.

nere, potest ratio superior peccare venialiter in subitis motibus, vel etiam mortaliter (ecce,) *per deliberatum consensum.*

Falsũ est, posse dari hęresim venialem ex paruitate materię.

Quæ si vera sunt, profectò nulla ratione audiendi erunt Theologi illi, qui non modo contrarium nostrę assertionis tuentur, sed eò etiam vsque progrediuntur, vt asserant, in ratione superiori circa materiam fidei posse dari hęresim venialem ex paruitate materiæ, vt inter alios ait Dominicus Soto in relectione de ratione tegendi, & detegendi secretum, membro 2. quæst. 7. conclus. 2. Hem, quæ paruitas materiæ in re altissima, æterna, diuinitus reuelata, cuiusmodi est obiectum rationis superioris, reperiri potest? Quid? qui negat aliquid reuelatum à Deo, quantumuis illud sit minimum, negat veritatem primam reuelantem, destruitque rationem formalem fidei: ergo peccat mortaliter. Sed de his non plura.

DISPVTATIO SECVNDA:

Quæ, & quomodo potentiæ inferiores hominis sint subiectum peccati.

CAPVT PRIMVM.

An sensualitas, siue appetitus sensitiuus in homine habeat secundum se aliquam libertatem independentem à motione voluntatis, quæ sufficiens sit ad peccandum venialiter.

PRÆCLARA sacrarum litterarum fax Augustinus lib. 3. super Gen. ad lit. cap. 22. & lib. 12. de Trinit. cap. 12. & 13. tria contemplatur in nobis, videlicet appetitum sensitiuum, siue sensualitatem, Rationem inferiorem, & Rationem superiorem; quæ proportione quadã respondeant tribus illis, quæ in horto voluptatis ad committendum primum peccatum concurrerunt; idest, serpens, Eua & Adam. Sensualitas correspondet serpenti; Ratio inferior, mulieri; Ratio denique superior, Primo Parenti. Visum à nobis hucusque est, quomodo duo priora, videlicet ratio inferior, & superior, in quibus superiores hominis potentiæ comprehenduntur, sint subiectum peccati: proximum est, vt de tertio, idest, de potentijs inferioribus edisseramus. Qua in re grauissima est altercatio tum inter catholicos Theologos

Sensus, Ratio inferior, & Ratio superior quibus respõdent.

logos, tum etiam cum hæreticis. Vt ergo ab ipso propositæ disputationis nomine initium expediamus

Quid sensualitas.

Nosse oportet, quod nomen isthuc sensualitas quamuis apud priscos Latinæ elocutionis auctores nusquam inueniatur, imò neque in sacris voluminibus, quod eius vice plerunque vtuntur voce sensus, nihilominus eo vsus est D. August. locis superius adductis, dein Magister sent. in 2. dist. 24. necnon S. Thomas, & in dist. illa, quæst. 2. art. 1, & in prima part. quæst. 81. art. 1. & 2, & in prima secundæ q. 74. art. 3, & 4. & in tertia part quęst. 41. art. 1. & quęst. 7. de malo ar. 6. & sexcentis alijs in locis, tandem effectum est in vniuersa schola commune. Per hoc autem nomen intelligunt scholastici principium actuũ siue motuum appetitus sensitiui, quatenus anteuertunt rationis vsum.

Quomodo differat ab appetitu sensitiuo.

Vnde etiam habes, quòd licet appetitus sensitiuus, & sensualitas in homine sint re ipsa vna eademq. potentia, tamen formaliter differunt. Quippe appetitus sensitiuus importat meram, ac nudam potentiam, quaquidem absolutè sensibilia appetimus, siue illa præcedant, siue sequantur deliberationem rationis. Sensualitas autem significat eundem appetitum, prout solum anteuertit deliberationem rationis. Quæ sensualitas, quia includit irascibile, & concupiscibile, non est vna potentia specie, sed genere, vt probat S. Thomas in prima part. quæst. 81. art. 2. Vnde etiam vides, quàm meritò plerique omnes Theologi cum S. Thoma in tertia part. q. 15. eliminant à Christo Domino omnem sensualitatem, licet in illo verè ponant appetitum sensitiuum, quia nullus fuit in eo motus anteuertens vsum rationis.

His adnotatis, quod hic quærimus est, an in

homine hæc potentia realis, includens appetitum sensitiuum, & sensualitatem, sit prædita aliqua propria libertate sibi intrinseca independenter à libertate voluntatis: quæ quidem libertas sufficiat ad peccandum saltem venialiter.

Affirmatiuę parti adhæsit Caietanus in prima secundæ S. Thomæ quęst. 74. art. 4. cui nonnulli quoq. recentiorum fauent. Mouetur Caietan. hoc fundamento, quia vis sensitiua apprehensiua ex coniunctione ad rationem, eleuatur supra naturam brutalē, ita vt quoddam vestigium rationis obtineat. Hoc vides in cogitatiua, quæ circa singularia discurrit; vnde, auctore S. Thoma in prima part. quęst. 78. art. 4. & quæst. 81. art. 3. vocata quoque est *ratio particularis, & collatiua intentionum indiuidualium, sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium.* Atque id in causa est, cur, quę in mutis animantibus dicitur æstimatiua, ea in homine peculiari nomine vocetur cogitatiua. | Pars affirmatiua probatur primò.

Idem apparet in reminiscentia, quæ in solo itidem homine reperitur: atque ob eam ipsam coniunctionem ad rationem, *ipsum reminisci est vt syllogismus quidam. Quod enim aliquis prius aut vidit, aut audiuit, aut aliquid huiusmodi passus fuit, syllogizat reminiscens*, inquit Aristoteles in libro de Memo. & Reminisc. capt. vlt. & luculenter explicat S. Doctor in prima par quęst. 78. citata art. 4. Ergo eadem ratione vis sensitiua appetitiua in homine, ex coniunctione ad voluntatem sortietur quandam libertatem; quæ porrò sufficiat, vt & principium efficiens peccati venialis, & subiectum constituatur.

Secūdò probatur ex discrimine ab Stagirite lib. 1. Polit cap. 3. inter appetitum sensitiuum, & membra exteriora constituto, *quod animus in corpus habet de-* | Secundò probatur.

ſpoticum imperium: mens autem in appetitum, ciuile & regium. Membra parent rationi ac voluntati ſeruiliter, & ad neceſſitatem; appetitus autem paret politicè ac regaliter, nimirum vt ciues principi, qui ita obſequuntur, vt nonnunquam illius mandata renuant. Quod diſcrimen poſuit etiam S. Thomas cum ſæpe alibi, tum præcipuè in prima part. quęſt. 81. art. 3. & in prima ſecundæ q. 74. art. 2. ad 3. vbi hæc habet. *Membra comparantur ad rationem mouentem, ſicut ſeruus, qui agitur, & non agit: potentiæ autem appetitiuæ interiores comparantur ad rationem quaſi libera, quia agunt quodammodo, & aguntur.*

Quò etiam facit illud Auguſtini pulchrè dictum, lib. 8. Confeſſ. cap. 9. *Vnde hoc monſtrum? Imperat animus corpori, & paret ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtit.* Quod ſi appetitus ſenſitiuus ita rationi ac voluntati obſequitur, vt aliquando renuat; ſi agit, & agitur; ſi reſiſtit; ſi denique imperante voluntate potis eſt operari, & nõ operari, quis non videt eum præditum eſſe aliqua libertate? Nam libertas, vt ſupra Tract. 1. Diſp. 1. cap. 2. aperuimus, in huiuſmodi facultate atque indifferentia poſita eſt.

Pulchrum Auguſt. dictum.

Quid? nonne frequenti experientia comprobamus, appetitum ſenſitiuum plerunque ad perpetrandum aliquid, ab eoue abſtinẽdum, rationibus per intellectum adductus perſuaderi? At qui id fieret, ni eſſet pręditus aliqua libertate? Quod enim libertatis exiſtit expers, id omne imperſuaſibile eſt.

Poſtremò ſuppetunt complura, eaque clariſſima S. Thomę teſtimonia, vt in prima ſecundę quęſt. 74. art. 2. ad 3. & art. 3. ad 3. & art. 4. ad 1. quibus in locis aſſerit, in ſenſualitate poſſe quidem eſſe peccatum veniale, non autem lethale; quia motus ſenſualitatis præueniens rationem, eſt quiddam imperfectum

Ad idem adducuntur S. Thomæ teſtimonia.

fectum

fectum in genere actus humani; Non est autem talis, qui sufficiat ad mortale. Hinc in art. illo 3. cum tertio loco argumentatus esset; quod homo ea duntaxat dicitur vt homo facere, eique imputantur, quæ facit per deliberationem: Et motus sensualitatis sunt sine deliberatione rationis, ac proinde non debent ei imputari. Respondet, *quod illud quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse facit: quia nihil operatur ibi id quod est principale in homine: vnde non est perfectè actus humanus, & per consequens non potest esse perfectè actus virtutis, aut peccati, sed aliquid imperfectum in genere horum. Vnde talis motus sensualitatis rationē*, (audi,) *praueniēs, est peccatum veniale*, quod *est quiddam imperfectum in genere peccati*. Ex quibus euidenter apparet, ad autem S. Thomæ sensualitatem, præcisa libertate voluntatis, habere suam: quę sat fuerit ad peccandum saltem venialiter. Consimilia habet, & quæst. 7. de malo art. 6. in corp. & in 3 sent. dist. 17. quęst. 2. art. 1. & in prima part. quęst. 81. art. 3. & plurimis alijs in locis.

Huc etiam fuit Magister sent. in secundo dist. 24. quo loci scriptum reliquit. *Illecebram in sola sensualitate existentem, esse peccatum veniale leuissimum*. Hac pro ista sententia. Dictũ Magistri sententiarum.

CAP.

CAPVT SECVNDVM.

Statuitur pars negatiua: Explicatur quomodo in appetitu sensitiuo non possit esse peccatum veniale: Et diluuntur argumenta in capite antegresso constructa.

Sententia negatiua.

ALij omninò inficiantur, in appetitu sensitiuo hominis, etiam vt coniuncto cum parte superiori, vllam vnquam inesse libertatem intrinsecè illi inhęrentem, quę secundum se sufficiat etiam ad peccatum veniale. Ita Alber. Mag. lib. de quatuor coęuis, quęst. 11. art. 7. Riccard. in 2. dist. 21. art. 2. quęst. 3. Medin. Conrad. Aluarez, & communiter alij super art. 4. quęst. 74. primę secundę: & procul dubio est sententia S. Thomę, & vera. pro qua,

In appetitu sensitiuo hominis nulla est libertas.

Dicendum est, primò: Appetitus sensitiuus in homine non est aliqua propria libertate prędìtus, sed tamen est in confinio ad libertatem: & propterea quandam libertatem participare videtur.

Probatur primò.

Prima pars probatur, Illa potentia habet libertatem, vt ostendit S. Thomas in prima part. q. 83. art. 3. & nos supra Tract. 1. Disp. 1. cap. 2. dilucidauimus, quę habet dominium sui actus, ita vt proposito obiecto, & omnibus ad agendum necessarijs, ex se possit amplecti illud, vel respuere, aut omnem suspendere actum. Quod vides in voluntate, quę proposito ab intellectu bono particulari, & omnibus ad agendum requisitis, potis est velle illud, & nolle, vel omnem actum circa illud suspendere. Sed hoc in appetitu sensitiuo hominis nullo modo inuenitur, ergo hic secundum se nulla vnqnam libertate prędìtus est.

Mnor

Minor probatur, nam quando hic dirigitur à ratione mediante cogitatiua, aut imperatur immediatè à voluntate, necessariò obedit; Et quando non obedit, (hic errat aduersa sententia) id non facit ex se, quia ita vult, sed facit, quia trahitur ac diuellitur ex alia ac contraria parte, à sensu videlicet, vel ab imaginatione. *Nam appetitus sensitiuus natus est moueri non solum ab æstimatiua in alijs animalibus, & cogitatiua in homine, quam dirigit vniuersalis ratio, sed etiam ab imaginatiua, & sensu. Vnde experimur irascibilem vel concupiscibilem rationi repugnare, per hoc quod sentimus, vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio præcipit.* inquit diuini ingenij vir S. Thomas in prima part. quæst. 81. art. 3. ad 2. Veruntamen appetitus ita reluctatur atq. repugnat, vt tandem à voluntate veluti fugitiuus quidam seruus retrahatur, deducaturque in obsequium rationis.

Radix erroris contrariæ sententiæ.

Quæ omnia frequenti etiam experientia comprobantur. Quotusquisq. enim est, qui non aliquando in semet experitur, quod nollet tentationum stimulis tangi, & nihilominus cōcitatur; nollet ira moueri, & tamē accēditur; nollet cupiditatum illecebris titillari, & concutitur; vellet hilarari, nec potest; nititur ab aliquo abstineri, & tamen *videt* cum D. Paulo, Roman. 7. *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*? Rursus aliquando experitur, quod per imperium voluntatis, iram, qua prius inflammabatur, reprimit; timorem, quo percellebatur excutit, insurgentes cupiditatum motus compescit, nunc expresso voluntatis iussu exuscitat dolorem, nunc mouet misericordiam; exacuit fortitudinem, vt de viro forti explicat etiam Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 11. qui,

Experientijs comprobatur.

dum se ad fortiter pugnandum excitat, appetitui præcipit, vt irascatur, *quia fortes honestatis quidem causa agunt, ira tamen ipsos adiuuat.*

Secundò probatur eadē assertio.

Secundò probatur eadem assertio. Illa facultas est libera, quæ habet indifferentiam contrarietatis, & contradictionis. vt loco iam indicato patefeci. Sed appetitus sensitiuus in homine secundum se, nullam obtinet indifferentiam, sed est determinatus ad vnū. Primò, quia essentialiter est potentia corporea, organoque affixa. Quæcunque autem vis corporea atq. organica est determinata ad vnum. Secundò, quia appetitus sensitiuus sequitur cognitionem sensitiuā. Cognitio autem sensitiua est determinata ad vnum. qnare etiam appetitus erit determinatus ad vnum: ac proinde secundū se in homine nulla erit præditus libertate.

Quomodo appetitus sensitiuus est in confinio ad libertatem.

Pręfatum autem appetitum in homine, in confinio ad libertatem consistere, ita vt quandam libertatem videatur participare, vt in altera conclusionis parte dicebam, ex gemino hoc effato colliges. Vnum est, quod cum appetituum sensitiuorum varię sint perfectiones, & multi gradus, appetitus sensitiuus in homine, tum quia oritur ex forma omnium formarum pręstantissima; tum etiam, quia coniungitur ad rationem, & voluntatem, est omnium sensitiuorum appetituum supremus. Alterum effatum est, quod vt habetur ex D Dionys. lib. de Cęlest. Hier. *supremū infimi attingit infimum supremi.* Cuius ratio est, quia vt in opere nostro de Meteoris Lect. 25 enucleauimus, & scribit Philosophus lib. 8. de Histor. Animal. cap. 1. *Natura in suis operibus obeundis, nūquam ab extremo transit ad extremum, sed semper extrema vectit per medium.* Quod medium verè quidem est gra-

gradus ac naturæ vnius extremi; sed ita obscurè atq. exiliter, vt alterius quoque extremi conditionem, & proprietates induere videatur.

Quia ergo voluntas, quę etiam appetitus rationalis appellitatur, & in qua germanè residet libertas, est conditio formarum immaterialium, profectò voluntas humana erit infima in hoc gradu, quęadmodum anima quoque rationalis est infima inter formas mollis, materiæque expertes: propterea appetitus sensitiuus in homine, cum sit supremus inferioris appetituum gradus, est veluti medium nectens appetitum sensitiuum, & voluntatem; eamque attingit, & videtur quandam libertatem participare.

Volūtas est cōditio formarum immateriali-um.

Dicendū est secundò, In sensualitate, siue in appetitu sensitiuo hominis secundum se, & exclusa libertate voluntatis, nullum potest esse peccatum etiam veniale.

In sensualitate secundum se, nullum est peccatum veniale.

Hæc assertio non minori certitudine, quàm præcedens tenenda est. Deducitur ex ea conspicuè. Nam peccatum est actio libera, vt vel ex eius definitione, tradita à D. Ambrosio lib. de Paradiso. cap. 8. & à nobis supra Tract. 1. Disp. 1. cap. 2. diligenter enucleata, liquet; quod *peccatum est praeuaricatio libera legis diuinæ.* Et S. August. sæpe reculcat, peccatum adeò esse voluntarium, vt si non est voluntarium, peccatum non sit: Et rursus, voluntas est, qua peccatur, & rectè viuitur. Et sanè delirium est asserere, in eo quemquam peccare, in quo non est liber. Sed in sensualitate hominis secundum se, & exclusa libertate voluntatis, vt conclusione præcedenti demonstratum est, nulla reperitur libertas, ergo mera puta fatuitas est, in ea vt sic, ponere aliquod peccatum etiam veniale.

Probatur demonstratiuè.

Secundò, peccatum veniale deuiat hominem a regula rationis. Atqui motus sensualitatis seu appetitus sensitiui secundum se, non deuiat à regula rationis, quia non attingit illam. quare in eo secundum se, nullum esse potest peccatum veniale. Idipsum animaduertere licet in pueris, & amentibus, qui quamuis plenè appetitu sensitiuo polleant, nihilominus ne venialiter quidem peccant, quia carent vsu & consensu rationis, & voluntatis.

Sensus non attingit regulam rationis.

Hinc nullo quoque negotio dilues argumenta, in capite præcedenti pro prima illa sententia confecta. Ad primum, dicito, quod licet cogitatiua, & reminiscentia, propter coniunctionem ad rationem, mirificè eleuentur, nihilominus adhuc manent intra corporearum ac materialium facultatum limites. Argumento est, quod non attingunt vniuersalia, sed veluti in confinio ad attingenda illa consistunt. Sic appetitus sansitiuus, quanquam in homine associetur cum ratione, & voluntate, & reddatur aptus earundem motus suscipiendi, adhuc tamen relinquitur potentia corporea, materialis, organoque affixa: ac proinde nullam habebit secundum se libertatem, quia hęc est conditio formarum immaterialium, vt supra dicebamus.

Depelluntur argumenta primæ sententiæ.

Ad secundum dicitur, quod nemo nisi affatim sensu destitutus sit, non experitur in semetipso discrimen positum ab Aristotele, & S. Thoma inter membra exteriora, & appetitum. Ratio verò discriminis non est, quod appetitus sensitiuus polleat aliqua indifferentia in agendo, aut libertate, vt in argumento temerè colligitur: sed est, quia membra nihil habent proprium, ideoque, (quæcunque nata sunt voluntario motu moueri) obediunt voluntati ad nutum, vti serui, domi-

Quare mēbra obediunt seruiliter, appetitus autē politicè.

dominis; qui nullam habent facultatem illis resistēdi: idque ob hanc ipsam causam, quia nihil habent sui; *Nam seruus*, vt inquit Arist. in illo lib. cap. 4. *non solum est domini seruus, sed omninò est illius*. Appetitus autem paret rationi politicè, quia habet aliquid proprium: iccircò potest renuere ac detrectare imperium rationis. Proprium autem illud est, quod appetitus sensitiuus aptus natus est non solum moueri à ratione, sed etiam à sensu, & imaginatione, vt supra dictum est, & latius afflante diuino numine, dicemus in Commentarijs nostris super 3. lib. de anima.

Ad 3. ex testimonijs S. Thomæ respondeo, eum, dum ait motum sensualitatis præuenientem rationem, esse peccatum veniale, absque vlla hæsitatione intelligere de motu præueniente perfectam rationis deliberationem, non autem de motu, qui præuenit quemcunque consensum voluntatis. Hic enim cum sit motus merè naturalis, nullum est peccatum, nec etiam veniale, vt ipsemet S. Doctor data opera explicat in quæst. 7. de malo art. 6. Et hoc quoque pacto explicandus est Magister sententiarum loco in augumento adductus. Quæ tamen omnia vt melius intelligantur, fit.

Explicatur S. Thomas.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quomodo in sensualitate possit esse peccatum sive veniale, sive mortale.

VIsum hucusque est, in appetitu sensitiuo secundum se spectato, neque vllam inesse libertatem, neque peccatum etiam veniale: iam videndum incumbit, quomodo in eo ipso detur peccatum. Quo videlicet pacto ipsius motus, vt ira, odium, libido, &c. fiant peccata, (quippe exploratum est, hęc aliquando esse peccata,) & quomodo fiant venialia, quomodo lethalia.

Quid hic hæretici blaterant. At primò quidem prodeunt hęretici nostri temporis peruicaciter asseuerantes, omnes sensualitatis motus, quantumcunque voluntatis consensum antevertunt, esse peccata mortalia: iustis tamen ac prædestinatis non imputari ad culpam propter fidem: pręscitis autem, non renatis, ac infidelibus imputari. Ita Lutherus, Caluinus, Melancton, Kemnitius, & reliquus impietatis grex, vt videre licet apud Martin. Becanum Tract. 2. de Peccatis. cap. 5. quæst. 3. Roffensem, Duardum Taperum, & alios.

Primũ hæreticorum fundamentum. Fundamentum hęreticorum est triplex. Primum, quia supponunt, peccatum originale non tolli, neque aboleri per baptismum, sed in nobis manere. Vnde sequitur primò, nullam posse in nobis esse gratiã, neque iustitiam inhærentem, sed tantummodo extrinsecam, & imputatiuam. Quippe si manemus infecti & coinquinati peccato originali, sane neque gratia, neque iustitia vlla in nobis inhęrebit; quoniam istę cum peccato consistere nequeunt. Sequitur secundò

cundò, omnes cōcupiſcentiæ, ac ſenſualitatis motus, & omninò omnes noſtras actiones eſſe peccata capitalia coram Deo, quia procedunt ex radice vitiata & corrupta: ſiquidem *mala arbor, bonos fructus facere nequit*. Matth. 7. Hinc illud Eſaiæ 64. *facti ſumus immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.*

Qui quidem error eſt antiquus, renouatus autem à ſupradictis hæreticis, quibus mos eſt, aliorum improborum analecta colligere. Enimuerò Epiphanius hæreſi 64. refert quendam Proclum ſecta origeniſtam aſſeuerantem, quod viuente corpore, ſemper etiā in nobis viuat peccatum: Et quod illud per baptiſmum quodammodo contrahatur, ac debilitetur; at non tollatur. Contra quem multis ediſſerit inibi S. Pater.

Secundum: Quidquid lege diuina prohibetur, peccatum eſt. Atqui omnes concupiſcentiꝫ motus prohibentur lege illa Exod. 20. *Non concupiſces*. omnes igitur ſunt peccata. Secundum fundam.

Quod ſi reſpondeas, hac lege prohiberi motus concupiſcentiꝫ voluntarios, non autem naturales, & qui omnem volantatis conſenſum prꝫueniunt. Quocirca propriè loquendo, per dictam legem, non tam motus ipſe concupiſcentiæ prohibetur, quàm conſenſus voluntatis, per quem ille motus fit voluntarius & peccaminoſus; inſurgunt. Reſponſio catholica.

Contra, quia prꝫfata lex *Non concupiſces*, vt auctor eſt D. Auguſt. lib. de ſpiritu, & litt. cap. 36. & lib. 2. de nupt. & concup. cap. 29. diſtinguitur ab illa alia lege Eccleſiaſt. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Sed in iſta prohibetur conſenſus in motū concupiſcentiæ: hoc enim pollet, ne eas poſt cōcupiſcentias tuas, id eſt Impugnatur.

ne

ac consentias illis. Quod si hęc distinguitur ab illa, priori, vtique illa vetat non solum consensum, sed omninò omnem concupiscentię motum, quantumcunque voluntatis consensum preueniat: ac proinde etiam ille motus erit peccatum.

Præterea, Idem August. locis quę dixi, ait, legem illā *Non concupisces*, in hac mortali ac ærumnosa vita seruari non posse, propter insurgentes concupiscentiæ motus. Quare secundū August. non modo consensus voluntatis, sed ipsi quoque motus concupiscentię præuenientes consensum prohibentur. Nam si solus consensus prohiberetur, lex illa posset seruari in hac vita, cum consensus sit in nostra facultate.

Tertiū hæreticorum fundam.

Tertium hęreticorum fundamentum est, quia omnis concupiscentię motus, etiam ille qui omnem voluntatis consensum pręuertit, appellitatur in sacris paginis malum, & peccatum. ergo, &c. Antecedens patet Rom. 7. quo loci Paulus fatetur, se inuitum pati motum concupiscentię, dum ait, *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odio malum, illud facio*. Et rursus. *sed quod nolo malum, hoc ago*. Quos quidem motus esse peccata, ostendit, primò, inquiens, se *odio illos habere*: Secundò, appellans *malum*. Tertiò, concupiscentiam conceptis verbis nuncupat peccatum, cum subdit; *Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. postremò, quia concupiscentiam vocat *legem membrorum repugnantem legi mentis & captiuantem in lege peccati*.

Idem habet D. August. multis in locis, lib. 5. contra Iulian. cap. 3. *Concupiscentia*, inquit, *carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis*.

Et

Et in Psal. 34. ait Deum odisse cõcupiscentiam. Consimilia habet, & serm. 6. de verbis Apost. & lib. 1. Retract. cap. 15. & alijs in locis.

Quidam Catholici DD. vt Henricus quodlib. 7. quæst. 32. in ea fuerunt opinione, quod motus concupiscentiæ circa illicita, præuenientes consensũ voluntatis, sint peccata in non baptizatis: in renatis autem ij solum sint peccata, qui sunt voluntarij. Alij, vt Caietan. quemadmodum in capite præcedenti retulimus, aiunt, huiuscemodi motus præuertentes vsum rationis esse tantummodo peccata venialia. Alij, vt Alex. Alens. 2. par. quæst. 26. Durand. in 2. dist. 24. quæst. 5. & Petrus Soto in Instruct. pastorum, tract. de peccato originali, distinguũt. Quod tales motus, si proueniant ex dispositione corporis, nulla sint peccata: sin autem ex imaginatione rei illicitæ, esse peccata venialia. Pro determinatione veritatis,

Variæ catholicorũ DD. sententiæ.

Dico primò, Motus concupiscentiæ, seu sensualitatis circa illicita, præuenientes omnem voluntatis consensum, non sunt peccata mortalia.

Prima conclusio.

Ita decernit sacrosancta Synodus Tridentina sess. 5. aduersus Lutheranos, & Caluinistas, his omninò verbis. *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet: quinimmo, qui legitimè certauerit, coronabitur.* Noceret autem, & maximè si ante omnem nostrum consensum essent peccata lethalia: Et quamuis aliquis aduersus eam legitimè reluctaretur ac certaret, tantum abesset, vt coronaretur, quin potius per eam redderetur æterna damnatione dignus.

Concupiscentia circa illicita præueniens cõsensum, nõ est peccatũ mortale in baptizatis.

Secundò probatur ex sacris litteris. Roman. 6.

Perpenditur locus D. Pauli. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Vbi Apostolus primò quidem præcipit: *non regnet*, est ergo in nostra potestate, vt peccatum regnet, aut non. Præfati autem concupiscentiæ motus non sunt in nostra facultate. Secundò, quod aduertunt Chrysost. Theodor. & Theophylact. non dicit, peccatum non exerceat tyrannidem in corpore vestro, sed *non regnet*: quia tyrannis est violentus dominatus in inuitos. Maxima autem tyrannis exerceretur in nobis, si motus concupiscentię, nobis inuitis, essent peccata. Tertiò, quia huiuscemodi peccati regnum non in eo consistit, vt non habeamus desideria, & concupiscentia motus; sed *ne illis obediamus*, sicut animaduertit D. August. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 27. obeditur autem illis per voluntatem. ergo, &c.

Argum. D. Augustini. Tertiò, id ipsum ex professo probat S. August. lib. 5. contra Iulian. cap. 3. quia si motus concupiscentię essent peccata sine consensu voluntatis, frustra diceretur Ecclesiast. 18. *post concupiscentias tuas nō eas*, id est, non consentias illis. Quid enim est, quod nos monet Ecclesiasticus, ne consentiamus concupiscentijs, si illæ essent peccata, etiam sine consensu? Excipe eius verba. *Alioquin frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas; si iam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, neque eis traditur, exercens aduersus eas gloriosa certamina*, &c. Et lib. 1. de Ciuit. cap. 25. idem ex eo suadet, quia eiusmodi motus nō sunt peccata in corpore dormientis, ergo neque erūt in corpore non consentientis. *Quod si*, inquit, *illa concupiscentia, quæ præter nostræ voluntatis legem mouetur, quanto magis absque culpa est in corpore non*

consentiente, si absque culpa est in corpore dormiente?
Idem habet compluribus alijs in locis, atque idem est communis Patrum consensus. Chrysostomi, Basilij, Cyrilli, Cypriani, Theodoreti, Gregor. Ambros. Hieron. & aliorum Grecorum, iuxta ac latinorum, quorum plurima testimonia collegit P. Hieron. Onuphrius in lib. de Integra sacramentali confess. Tract. 1. Dispur. 4 quęst. 4.

Postremò, adsunt Theologicæ demonstrationes. Prima; motus concupiscentiæ reperiuntur in iustificatis, vt D. Paulus de se ipso fatetur Roman. 7. Et 2. Corinth. cap. 12. *Et ne magnitudo reuelationum me extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathan, qui me colaphizet.* Sed in iustificatis nullum reperitur peccatum: Quomodo enim peccatum cum gratia, & tenebræ cum luce consistent? Secunda, omnia peccata funditus tolluntur per baptismum. Motus autem concupiscentiæ non tolluntur. ergo. Demonstrationes Theologicæ.

Dico secūdò, Motus sensualitatis circa illicita, prę-uertentes omnem voluntatis consensum, neque etiam in non baptizatis sunt peccata lethalia. Secunda cōclusio.

Hæc conclusio, licet non sit de fide, quemadmodum est præcedens, censenda nihilominus est indubitata. Ita sentiunt, & consentiunt omnes scholastici. Profectò; si omne peccatum actuale est voluntarium, ac in nostra facultate positum, quia auctore, vel ipso Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 7. in necessarijs, & naturalibus nec meretur quisquam, nec demeretur; extremæ dementię erit asserere, motus sensualitatis, quemcūnque voluntatis consensum pręuenientes, esse peccata mortalia; cum sint necessarij, ac naturales. Hinc D. Chrysost. homil. 19. ad popul. *concupiscere*, inquit, *naturale est, malè autem concupiscere,* Concupisc. præueniēs cōsensum neq. in non baptizatis est peccatū mortale.

voluntatis est. Et Angelicus Doctor in prima secundę, quæst. 89. art. 5. quasi indignabundus ait; *Irrationabiliter dicitur, quod primi motus infidelium sint peccata mortalia si eis non consentiatur*: cuius dicti rationes vide in illo art.

Obijcitur contra.

Quòd si obijcias; Concilium Trident. loco iam inducto, satis apertè insinuare videtur, motus concupiscentiæ, de quibus est sermo, solum in baptizatis, non esse peccata. Quippe limitat inquiens, concupiscentiam in renatis non esse peccatum, nihil indicans de infidelibus. Quod etiam sæpenumero facit August. vt lib. 6. contra Iulian. cap. 5. & lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. 13 & lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. & sæpe alibi, dum dicit, concupiscentiam non esse peccatum in renatis. ergo sequitur, eam esse peccatum in non baptizatis ac infidelibus. Hæc consecutio ex eo fundatur, quia *limitatio seu exceptio firmat regulam in contrarium*.

Respōsio.

Respondeo, Concilium nullam eo loci limitationem, exceptionemue facere; sed meminisse duntaxat baptizatorum, quoniam Sessio illa 5. est *Decretum de peccato originali*, quod definit per lauacrum regenerationis omninò tolli. (quam definitionem infra referam,) manere autem in baptizatis concupiscentiam & fomitem; quæ tamen illis non consentientibus, minimè noceat; ideirco necessè habuit dicere, concupiscentiam in renatis non esse peccatum, &c. Hinc tamen non sequitur, Concilium affirmare in non baptizatis eam esse peccatum. Ita etiam est intelligendus S. August. Quod si aliquando aut idem S. aut alij SS. Patres dixerint, concupiscentiam in infidelibus esse peccatum, ac remitti per baptismum, accipiunt concupiscentiam quatenus est rea-

tui peccati originalis coniuncta, atque ab illo reatu quasi informatur: Ideircò dicunt, concupiscentiam per baptismum remitti, quia videlicet reatus ille remittitur.

Dico tertiò, Motus sensualitatis præuenientes omnem rationis, ac voluntatis vsum & consensum, non sunt peccata venialia. Fiunt autem, si accesserit imperfectus aliquis consensus, vel perfectus de re leui.

Prima pars vel ex his, quę adhuc afferebamus, fit conspicua. Enimuerò huiusmodi motus sunt in nobis necessarij. Et secundum communem rerum cursum fieri nequit, vt non insurgant ante rationis iudicium. Cuius rei ea est demonstratio, quia appetitus sensitiuus sequitur apprehensionem sensus. Sensus autem naturaliter prior est rationis iudicio: quare, &c.

Quod si Beatiss. Virgo cohibebat omnes motus portionis inferioris, ne ante rationis iudicium insurgerent id habuit ex specialissima gratia. Nulla itaque sunt peccata venialia. Primò, quando tales motus insurgunt in nobis antequam ratio aduertat. Deinde, ratione iam aduertente, voluntas viriliter constanterque resistit, & pro virili conatur eos expellere.

Fiunt autem peccata venialia, vt in secunda parte conclusionis asserebamus, etiam dupliciter. Primò, cum voluntas consentit imperfectè in re siue leui, siue graui. Tunc enim peccatur venialiter ex defectu deliberationis. Secundò, cum consentit quidem perfectè, sed de re leui. Tunc committitur veniale ex paruitate materiæ.

Dico quartò, Motus sensualitatis circa illicita, sunt peccata

Quomodo remit. pecca. 2. motus.

Tertia conclusio.

Explicatur pulchrè ratio ...

Quādo motus concup. non sunt peccata venialia.

De Beatiss. Vergine.

Quomodo fiunt peccata venialia.

Quarta cōclusio.

peccata lethalia, quando voluntas perfectè consentit in re graui.

Quomodo fiunt pecca ta mortalia.

Hæc conclusio est extra omnem ambiguitatem. Quippe quis ambigit, consensum perfectum in rem turpem, & grauem, esse capitale ac lethale delictum?

Explicatur pulcherrima Iacobi gradatio.

Hanc, & præcedentem assertionem mirificè illustrat pulcherrima illa gradatio Iacobi 1. *Vnusquisq. tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde, concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum verò cum consummatũ fuerit, generat mortẽ.* Quibus verbis ponitur nobis ob oculos progressus, quo quidem à tentatione concupiscentiæ venitur ad peccatum mortale per consensum voluntatis. Ac primò ponitur ipse motus concupiscentię, qui tantum abest vt sit peccatum, vt potius non consentientibus, ac legitimè certantibus sit occasio meriti, vt ibidem subiungitur. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Secundò ponitur partus concupiscentię, idest peccatum veniale, qualis est delectatio præueniens plenam deliberationem. Hinc D. August. lib. 6. contra Iulian. cap. 5. *Concupiscentia* inquit, *non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit.* Tertiò ponitur mors, seu peccatum mortale, quod demum oritur ex pleno consensu.

Tres concupiscẽtiæ motus: & qui sunt.

Vnde habes, distinguendos esse in nobis tres concupiscentię motus. Primus est inuoluntarius, qui nullo modo est peccatum. Secundus imperfectè voluntarius, qui est peccatum veniale. Tertius perfectè voluntarius, qui est peccatum mortale. Quos quidem motus suis nominibus vocant Theologi, *Suggestionem, Delectationem, & Consensum.*

CAPVT QVARTVM.

Euertuntur tria illa hæreticorum fundamenta, in superiori capite allata: Et asseritur germanus illarum auctoritatum intellectus.

Explicatur dictũ Christi.

Depellitur primũ hæreticorum fundam.

RElliquum est, vt hæreticorũ fundamenta initio præcedentis capitis recensita, paucis euertamus; adducendo germanum sacrarum litterarum sensum iuxta Patrum, & Ecclesiæ intelligentiam. Ad 1. dicimus, peccatum originale per lauacrum regenerationis omninò tolli; qua de re alibi plura. Interea, quid sacra Triden. Synod. in Sess. illa 5. de eo sentiat, audi. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, qua in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: Anathema sit.*

Explicatur dictũ Christi, Arbor mala, &c.

Illud autem Christi Domini Matth. 7. *Arbor mala non potest bonos fructus facere*, non intelligitur de aliqua mala voluntate in nobis existente, vt olim contendebat Manichæus, neque de concupiscentia, vt blaterant hæretici nostri temporis, sed nomine malæ arboris eo loci, vt habet communis SS. Patrum interpretatio, intelligitur mala intentio animi nostri; & nomine bonæ arboris, bona intentio. Ex mala autem intentione non prodit bonum opus, quemadmodum neque ex bona, malum: iuxta illud etiam Christi Domini Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, &c.*

Vel dicitur, quod mala arbor, quandiu mala est,

est,& qua ratione mala est,non potest bonos fructus facere: & bona, quandiu bona est, & qua bona, non potest malos fructus facere.

Explicatur dictũ Esaiæ. Esaias autem in illo dicto *facti sumus immundi omnes, & quasi pannus, &c.* inuehitur in scelera ac flagitia populi scelaratissimi. Concionatores autem, dum reprehendũt populum,sic in eius vitia inuehuntur,ac si nullus in eo populo bonus sit. Sic D. Paulus scribens ad Philipp. cap. 2. *omnes* inquit, *quærunt quæ sua sunt*, quamuis sciret, in illo populo multos esse viros probos & sanctos.

Depellitur secundum hæreticorũ fundam. Ad 2. optimè ibi responsum est. Lex namque Exod. 20. *Non concupisces*, absque vlla hæsitatione lata est de concupiscentia, ut super eam cadit consensus voluntatis, siue quæ est voluntaria. Ratio est manifesta, quoniam Deus Opt. Max. nihil præcipit homini, quod ab eo præstari nequeat. At homo euitare nequit, quominus motus concupiscentiæ insurgant: potest autem euitare consensum in eos: ergo neutiquam præcipitur illi, ne habeat motus concupiscentiæ, sed ne illis consentiat. Alioquin, quomodo Seruator noster dixisset, Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue?*

Ad 1. impugnationem dicitur, à multis alijs Patribus negari, duas illas leges, Exod. 20. & Ecclesi. 18. esse distinctas. Nihilominus si distinguantur, discrimen in eo positum est, quod per primam prohibetur consensus in concupiscentiam: per secundam autem prohibetur etiam opus externum. Quod indicatur per illud *non eas*.

Aug. in lege illa, Nõ concupisces, duo cõtemplatur. Ad 2. impug. communis responsio est, Augustinum in dicta lege duo contemplari, nempe finem, & medium. Finis est penitus non sentire motus concupiscentiæ;

piſcentiæ: Medium autem eſt, non conſentire iiſdem inſurgentibus. Cum ergo ait, præfatam legem in hac caduca ac mortali vita ſeruari non poſſe, loquitur de ea quoad finem: quia videlicet fieri nequit, vt in hac vita non ſentiamus huiuſmodi motus, à quibus in ſola patria cæleſti liberabimur, vt indicat ipſemet S. Pater in lib. de ſpirit. & litt. cap. 36. Non autem inficiatur, dictam legem, quoad medium, quod eſt conſentire illis, non poſſe in hac vita ſeruari: Modo quia leges non feruntur de fine, ſed de medijs, idcircò dicta lex optimè in hac vita abſolutè dicitur à nobis ſeruari poſſe, cum medium, id eſt conſenſus, ſit in noſtra facultate.

Ad 3. fund. Vt ſyncerus loci illius intellectus hauriatur, duo aperienda ſunt. Primùm, in cuius nam perſona loquitur ibi Apoſtolus dum ait, ſe facere illud malum, quod non vult, & quod odit. Deinde, quid nomine peccati intelligit, quod in ſe ait habitare.

Opinio, quod D. Paul Roman. 7. loquatur in perſona hominis peccatoris.

De primo non conuenit inter Doctores. Sunt qui opinantur, D. Paulum eo loci verba facere in perſona hominis peccatoris, qui concupiſcentiæ ſuæ conſentit, eique ſine vlla reluctantia dat manus. Id colligunt, quoniam quæ in illo capite dicit Apoſtolus, non niſi in peccatorem cadere poſſe videntur. Ait enim, *ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum. &c.* Ita Origenes, Chryſoſt. Theodor. Theophylac. Atq. in hac ſentẽtia fatetur ſe aliquando fuiſſe Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 66. Et iuxta hanc explicationem, nihil locus ille fauet hæreticis, cum ſermo ſit de motibus illius concupiſcentiæ, quibus homo peccator liberè, & ſine vlla reſiſtentia conſentit.

Alij dicunt, D. Paulum loqui in persona propria, & in persona iustorum, qui carnalibus cōcupiscentijs obuiam eunt, resistuntq. Hoc eruunt ex ijs ipsis, quæ inibi subijciuntur: videlicet, *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.* Et mox, *igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sic accipiunt Epiphan. hęres. 64 & August. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 27. tū lib. 1 contra duas Epist. Pelag. cap. 10. lib. 1. Retract. cap. 1 & lib. 6. contra Iulian. cap. 11. vbi fatetur se olim in priori sententia extitisse: postea verò cum melioribus ita sensisse: nempe cum Hilario, Gregor. & Ambros. Atque nec secundum istam intelligentiam, locus ille pro hæreticis quicquam facit. Nam sermo est de eo, qui non vincitur a peccato; sed constanter resistit. Quamobrem, quatenus à concupiscentia trahitur, diuellitur que ad malum, dicitur facere id, quod odit, quodque non vult malum: quatenus autem neutiquam consentit, sed potius rationis fræno, ac voluntatis imperio eam compescit atque retundit, dicitur velle bonum, odisse malum, condelectari legi Dei, & mente illi seruire.

Quod loquatur in persona sua, & iustorum.

Quare concupiscentia nuncupatur ibi malum, & peccatum, per metonimiā, vt etiā initio huius operis notauimus, nempe quia est effectus peccati originalis, & causa peccati actualis. Et vt cum August. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. loquar, peccatum vocatur, quia de peccato facta est, sicut lingua vocatur locutio, quam fecit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque vocatur peccatum, quia si vincit, facit peccatum; quemadmodum frigus appellatur pigrum, quia pigros facit. Audi Concil. Trident. quid in Sessione illa 5. definit. *Hanc concupi-*

Quid ibi intelligat, per malū, & peccatum.

concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit. Hinc igitur habes, & in cuius persona loquitur Apostolus loco in arg. inducto, & quid per peccatum intelligat.

Eodem modo explica loca Augustini, ibidem in confirmationem adducta. Ad 1. concupiscentiæ inest quidem inobedientia erga spiritum; quia tamen est libertatis expers, peccatum non est. Ad 2. Deus dicitur odisse concupiscentiam, non tanquam culpã, sed tanquam solicitantem ad culpam. Sed hic oritur alia difficultas inter Scholasticos: Quare sit. — Explicatur S. August.

CAPVT QVINTVM.

Vtrum quando motus sensualitatis circa illicita imputantur homini ad culpam, quia voluntas non repressit eos cum posset, sint peccatum commissionis, an verò omissionis.

SCotus in 2. dist. 42. quæst. 3. Henricus quodlib. 6. quæst. 32. & nonnulli recentiores opinantur esse peccatum omissionis. Fundamentum eorum est, quia in casu proposito, tota ratio culpæ consurgit ex eo, quia voluntas negligit dictos motus reprimere, & ratio negligit super eos animaduertere, cum tamen possit, & teneatur. Negligere autem aliquid, ad — Opinio, & eius fundamentũ quod sint peccata omissionis.

quod teneatur, & possit facere, est omittere: ergo &c.

Confirmant, quia cum Præpositus aliquis non reprimit gregis sibi commissi vitia cum possit, delinquit peccato omissionis: ergo etiam ratio, & voluntas cum non compescunt inordinatos concupiscentiæ motus cum possunt, & tenentur compescere, peccant peccato omissionis. Consequentia ex eo apparet, quia ratio, & voluntas, cum in homine sit supremum mouens, & imperans, obtinet vicem Præpositi respectu omnium aliarum potentiarum, quæ illarũ directioni, atque imperio subduntur. ergo, &c.

Opposita sententia iudicatur probabilior.

In contrario stat communius dogma, quod dicti motus verè sint peccata commissionis. Ita Caietanus in prima secundæ Sancti Thomæ quæst. 74. artic. 3. Medina ibid. dub. 1. Aluarez in ead. quæst. art. 4. & communiter alij, & nobis omninò videtur vera, & tenenda.

Ratio est, quia vt docet S. Doctor in prima secundæ quæst. 71. art. 5. ad 3. & secunda secundæ quæst. 79. art. 3. ad 3. & nos patefecimus suprà Tract. 2. Disput. 2. cap. 1. peccatum commissionis illud est, quod opponitur præcepto negatiuo: peccatum autem omissionis est, quod aduersatur pręcepto affirmatiuo. Sed dicti concupiscentiæ motus verè aduersantur pręcepto negatiuo, *Non concupisces*. ergo verè sunt peccata commissionis.

Diluitur argum. superioris sententiæ.

Argumentum autem aduersę sententiæ facile diluitur. Fatemur enim ibi interuenire, seu potius pręsupponi aliquam negligentiam, cum rationis, tum voluntatis, sed illa non facit, quod dicti concupiscentiæ motus sint peccata omissionis, sed solum facit, quod sint peccata, nã ratione illius negligentiæ imputan-

putantur ad culpam, quia sunt voliti indirectè. Enimuerò, sicut quando voluntas directè, & actu positiuo vult non agere id, ad quod tenetur, est formaliter peccatum omissionis, ità è contra quando voluntas non facit id, quod debet ad impediendum peccatum commissionis, est verè peccatum commissionis, licet indirectè volitum. Quemadmodum cum quispiam incautè emittens sagittam, interficit hominem prætereuntem, nulli dubium, quin sit homicida, & verè committat peccatum commissionis, & tamen culpa fuit ex negligentia videndi, an ibi esset aliquis nec ne. Vin' aliud quoque exemplum? Peccatum Angelorum habuit ortum ex negligentia, quod est ex ignorantia negatiua, vt dictum est supra Tract. 2. Disput 3. cap. 4. quia videlicet non animaduerterunt ea, quæ tenebantur animaduertere; & tamen illud fuit peccatum commissionis, vt DD. scholastici docent in prima part. sancti Thomæ quęst. 63. quare &c.

Ad confirmationem respondeo, quod cum Prælatus negligit admonere ac corrigere subditos, ne peccent, omissio diligentiæ, & correctionis est de re, quæ quidem per se ac principaliter præcipitur Prælato; ac proinde constituit speciale peccatum omissionis distinctum à peccatis commissionis, quæ à subditis propter negligentiam Prelati committuntur: Cæterùm animaduertentia, & diligentia, quam ratio, & voluntas debent adhibere in reprimendis concupiscentiæ motibus non cadit tunc principaliter sub speciali aliquo præcepto, sed eodemmet præcepto, quo tenetur homo non concupiscere, tenetur quoque aduertere, & adhibere diligentiam mo- Diluitur confirmatio.

ralem, ne inordinati concupiscentię motus insurgat. Hinc fit, vt inaduertentia rationis, & negligentia voluntatis, in casu proposito, nullam aliam habeat malitiam, pręter illam quam habet motus concupiscentię inordinatus. Quę cum sit commissionis, vt pote quę opponitur pręcepto negatiuo, *Non concupisces*, euidenter sequitur, ibi nullum adesse peccatum omissionis, sed esse solum commissionis. Atque isthæc de hoc argumento dixisse satis.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

An in membris & potentijs exterioribus sit formaliter aliquod peccatum?

CAPVT PRIMVM.

Duæ opiniones circa hoc penitus contrariæ varijs argumentis probantur.

QVOD quærimus est, an actus exteriores proximè à membris, & sensibus exterioribus eliciti sint in ijs peccatum; ita vt membra ipsa verè dici queant peccare. Enimuerò si sunt peccata, & subiectiuè in ipsis membris, procul dubio denominãt ipsa mẽbra peccantia; Qua in re Ochã in quodlib. 3. q. 17. Gabriel in 3. dist. 33. quæst. vnica, art. 2. & complures alij, absolutè partem affirmatiuam tuentur: quæ potest probari, Prima sententia absolutè affirmat.

Primò si qua foret ratio, quominus in membris exterioribus subiectetur peccatum, maximè est, quoniam illa sunt libertatis expertia, & mouentur ad nutum voluntatis. Atqui id nihil prohibet. Nam etiam appetitus sensitiuus secundum se, caret omni libertate, & tamen qua mouetur à voluntate, est subiectum peccati, & verè in suis motibus dicitur peccare, Probatur primò.

re, vt Disput. precedenti cap. 3. ostensum est. pari igitur ratione membra exteriora erunt subiectum peccati per ea commissi, & verè dicentur peccare quamuis sint libertatis expertia.

Arguitur secundò.

Secundò, corpus afficitur à Deo premio, aut pœna: ergo verè meretur, aut demeretur; ac proinde verè & est subiectum peccati, & peccat. Assumptum patet, & quidem de premio in corporibus beatorum post resurrectionem, in quibus non modo crescet gloria extensiuè, quia videlicet gloria anime extenditur etiam ad corpus, verùm crescet etiam intensiuè; ita vt beatus reassumpto corpore, intensius ac suauius tum videat Deum, tum eo fruatur, quàm faciat modo, vt olim docuit S. Thomas in 4. dist. 49. quest. 1. art. 4.

Efficax argum. quod anima post diem iudicij sit beatior.

Cuius rei multa attulit argumenta Mag. Medina in prima secunde S. Thome quest 4. art 5 dub. 2. quorum vnum hoc est, quod adduxerat quondam S. August. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 25. & S. Thomas locis jam adductis. Quia anima rationis particeps, dum est à corporis societate dissociata, appetit naturali desiderio vniri corpori suo, vt multis ostendi in opere de Triplici statu Animæ rationalis, Disput. 6. Sect. 1. Atqui desiderium isthuc retardat aliquo pacto, quominus illa totis viribus in Deum feratur: quippe cum anime vires sint limitate, intensio earum ad vnam partem, retrahit ac diuellit eam ex alia. Vnito autem corpore, huiuscemodi desiderium expletur: ergo tunc intensius fertur in Deum, & suauius eo fruitur: & ex consequenti crescet essentialis, & intensiua beati gloria. Eodem pacto de pœna in corporibus damnatorum philosophare.

Quid verò? non modo vniuersum beati corpus conde-

condecoratur pręmio, sed partes etiam corporis determinatę, quę pro nomine Iesu contumeliam passę sunt, quęque aduersus huius mundi principem glorioſè certarunt quasi singulari quedam victorię triumpho, peculiari splendore ac decore ornatę ęternùm ibi conseruabuntur. Hinc D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. *fortassis, inquit, in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quę pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit & quidam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Vnde etiam Seruator noster post gloriosissimam suam resurrectionem retineri voluit in corpore suo cicatrices, & aperturas vulnerum. *Non enim*, vt Beda super Luc. 22. loquitur, *ex impotentia curandi cicatrices seruauit, sed vt in perpetuum victorię suę circumferat triumphum*; de qua re egregiè S. Thomas in tertia part. quęst. 54. art. 4.

Cicatrices remanent in corporibus martyrum reassumptis.

Argumento etiam est, corpus, ac determinatas eius partes, statui subiectum peccati, mereri, ac delinquere, quòd Deus sępenumerò determinatè aliquam corporis partem, per quam peccatur, afficit etiam temporali supplicio: ita vt quorundam sceleſtorum hominum manus, quòd illis nefandum aliquod, aut sacrilegum facinus perpetrauerint, omninò aruerint; linguę, quòd falsa testimonia, aut blasphemias effuderint, putrefactę sint, quorum exempla cum in sacris voluminibus, tum apud sanctos Patres habentur plurima. Ex quo leges quoque humanę in atrocioribus quibusdam flagitiis, illud membrum determinatè supplicio plectunt, per quod flagitium perpetratum est. Hinc summa cum ratione nos hortatur Apostolus Roman. 6, vt membra nostra exhibeamus

Cur legibus puniuntur determinatę corporis partes.

seruire iustitiæ. *Sicut*, inquit, *exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Sentent. absolutè negatiua.

Alij verò e regione omninò negāt vllum vnquam peccatum subiectari in membris, & potentijs exterioribus, ita ut ea dici possint peccare. Ita Medina, Aluarez & quidam recentiores ad primā secundæ S. Thomæ, quęst. 74. art. 2.

Probatur primò.

Quorum fundamentum est, quia membra exteriora sunt instrumenta actuum; & aguntur, non agunt, vt docet S. Doctor in illo art. 2. ad 3. vbi hæc omninò habet. *Membra corporis non sunt principia actuum, sed solum organa; vnde, & comparantur ad animam mouentem, sicut seruus, qui agitur, & non agit.* Sed organa, V.G. ensis aut baculus, nullius peccati sunt subiecta, neque vnquam dicentur delinquere. quare nec etiam membra externa.

Secundò.

Secundò probatur. Actus membrorum exteriorum sunt actiones transeuntes. Actio autem transiens non recipitur in agente, sed in externa materia, vt docet Philosophus 9. Metaphysic. tex. 16. & S. Thomas in 1 par. quæst. 87. ar. 5 vrere enim & secare suscipiuntur in passis. ergo actus membrorum exteriorum nō subiectantur in eis. ac proinde ea nullatenus denominari possunt peccantia.

Tertiò.

Tertiò, Actiones sunt suppositorum, vt tradit Stagirites lib. 2. primę Philosophię tex. 28. & S. Doctor in 1. 2. quęst. 77. art. 2. ad 1. ergo non partium: quare, &c. His ita constitutis, vt quid hac in parte sentiendum sit, habeas, sit.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Proceditur media quadam via: Et diluuntur vtriusq; relatæ opinionis argumenta.

PRoposita controuersia haud multo, opinor, negotio dirimetur, si recolas distinctionem, quam in Disputatione prima huius Tract. cap. 1. elucidauimus; quod de peccatis gemino modo possimus loqui. Vnoquidem formaliter: Alio verò causaliter. Qua supposita,

Dicendum existimo primò, quod peccata formaliter sunt in membris, & potentijs exterioribus, ita vt ea verè dicantur peccare. Prima conclusio.

Probatur primùm, quia actus exteriores membrorum circa illicita, V. G. homicidium, formaliter sunt peccata: sunt enim dissoni rectæ rationi, legique diuinæ contrarij. Atqui isti verè procedunt ab exterioribus membris, ergo formaliter loquendo verè sunt in eis. Deinde, peccatum hæreseos quemadmodum supra asserebamus cum S. Thoma in secunda secundę quęst. 10. art. 2. formaliter est in intellectu, ergo idem de membris exterioribus asseuerandum erit. Ad hęc, seruus iussus à domino, malè agendo delinquit, & iure punitur: licet ergo membra exteriora seruiliter moueantur à voluntate, id non obstat, quominus illa formaliter sint subiectum peccati, tum peccare dicantur & digna sint punitione. Peccata formaliter sũt in membris exterioribus.

Dicendum secundò. Si loquamur de peccatis causaliter, peccata non sunt in membris exterioribus, neq. illa hoc pacto dicentur peccare. Secunda conclusio.

Peccata ea nsaliter nō sunt in mēbris exterioribus.

Hæc assertio vel ex eo liquet, quia causa, quod actus exteriores sint peccata, est voluntarium, siue internus voluntatis actus; quiquidem, vt etiam retrò docuimus, in sola voluntate est. Nam vel ipso Philosopho auctore lib. 1. Magn. Moral. cap. 12. *Actionis tam bonæ, quàm malæ principium est consilium, & voluntas, & quicquid ad rationem tendit.*

Hinc collige primò, quod aliud est, actum exteriorem in se ac formaliter esse malum, & aliud, vnde nam habeat quod sit malus. Ille in semetipso spectatus, malus est: quocirca etiam expresse prohibetur, vt honora patrem, sabbata sanctifices, non occides, &c. Est autem malus ab interno voluntatis actu, à quo liberè imperatur.

Collige secundò malitiam actus exterioris haud esse aliam à malitia actus interioris voluntatis; sed illa ipsa malitia, quę in interiori voluntatis actu inhęret intrinsecè, est in exteriori denominatiuè. Verùm hac de re omninò videnda sunt ea, quę fusè tradidimus supra Tract. 1. Disput. 2. cap. 2 de bonitate, & malitia actuum interiorum, & exteriorum.

Soluitur primū arg. primæ opinionis.

Ex his quoque facile dilues vtriusque iam recensitæ opinionis argumenta. Dilues primum dicendo, in mēbris, & potentijs exterioribus ita inesse peccatum formaliter, sicuti est in appetitu sensitiuo: quantum enim ad hoc, vtrobique eadem viget ratio. Differunt verò, quoniam appetitus habet aliquem proprium actum, quo etiam haud rarò voluntati resistit. (In quo quidem actu non peccat: Peccat autem dum à voluntate mouetur, aut approbatur) vnde etiam obtemperat voluntati politicè. Membra verò nullum vnquam habent proprium actum, qui à voluntate non dependeat: ex quo fit, vt etiam obediant seruiliter,

& ad nutum, quemadmodum ex Arist. lib. 1. Politic. cap. 3. exposuimus supra.

Secundum argumentum, atque eius confirmationes mirificè corroborant primam nostram conclusionem. Proborum hominum corpora in subeundis bonis certaminibus compatiuntur: quare & corregnabunt: Improborum autem corpora coinquinantur, coagunt, collætantur in peccatis, ideò æternis affligentur pœnis. Et ob hanc ipsam rationem bonorum partes ac membra determinatè cōdecorantur præmio, & malorum afficiuntur supplicio etiam à legibus humanis. Soluitur secundum.

Quod autem spectat ad auctionem gloriæ in beatis post assumptionem corporum, quod in secundo illo arg. annectebatur, si sermo est de gloria extensiua, & ex animæ affluentia in corpus redundante, nulla est inter Doctores dissensio. Omnes namque affirmatiuè sentiunt, & consentiunt. At maximè inter eosdem controuertitur, an tunc crescat etiam gloria intensiuè, ita vt beatus reassumpto corpore, intensius ac suauius, & videat, & fruatur. Cuius rei accurata discussio non est præsentis instituti. Probabilius videtur, eam intensiuè non augeri: Quia ibi reassumpto corpore non accedit nouum meritum; nam meritum actionum corporis, totum est ab anima, siue à voluntate. Iuxta quod quidem meritum datur lumen gloriæ: & cui merito correspondet gloria in beatis etiam ante corporum assumptionem. Ex quo liquidò colligitur, tantam gloriam essentialē ac intensiuam possidere nunc beatū, quantam habebit post diem iudicij. Ita etiam docet S. Thomas cum alibi, tum in prima secūdæ quæst. 4. art. 5. ad 5. vbi dissoluit quoque argumentum, quod

An in beatis potest die iudicij crescere gloriam etiam intēsiuè.

in

in contrariam partem attulimus ; dicens. *dicendum, quod desiderium animæ separatæ totaliter quiescit ex parte appetibilis, quia habet id quod suo appetitui sufficit: sed non totaliter requiescit ex parte appetentis, quia illud bonum non possidet secundum omnem modum, quo possidere vellet: & ideò corpore reassumpto, beatitudo crescit, non intensiuè, sed extensiuè.* hęc ille: nec ego plura de hoc arg.

Depellitur primũ arg. secundæ opinionis.

Eadem facilitate dissolues secundę opinionis argumenta. Et quidem primum, quia longè diuersa ratione membra sunt instrumenta animæ, ac est gladius aut baculus. Illa namque sunt instrumenta coniuncta, & verè partes hominis integrantes: Insuper vna eademque hominis forma informantur, subduntur voluntati; vnde iuxta effatum Hippocratis, consensus vnus, conspirantia omnia: ideoque fiunt etiam capacia denominationis peccaminosę. Cęterùm ensis. aut virga sunt instrumenta manus abiuncta, atque omninò incapacia huiuscemodi denominationis.

Depellitur secundum.

Dissolues secundum, quia vniuersè falsum est, omnem actionem membrorum, & potẽtiarum exteriorum esse transeuntem, cum visio V. G. vel etiam ambulatio haudquaquam sint transeuntes. Deinde, fac omnis membrorum actio sit transiens, adhuc nihil contra doctrinam nostram consequitur. Nam actio transiens, (si ea formaliter est in passo) recipitur quidẽ in materia externa: cęterùm denominatio actionis procul dubio est in agente: à qua nuncupatur agens, vt dicitur in 3. Phisic. ita denominatio peccati est in membris, à qua ea formaliter denominantur peccantia.

Depellitur tertium.

Dissolues denique vltimum, quia actiones sunt suppositorum

positorum, siue singularium cōpletè; Hoc autem haud prohibet, quominus sint etiam partium incompletè. Ita dicimus & hominem, & pedes ambulare. Et Regius Psaltes Psal. 102. *Benedic*, inquit, *anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Innumera tibi vbique occurrunt obuia huiusmodi dicta.

Tandem pro coronide huius, & præcedentis Disputationis adnotare lubeat ex Sanct. Thoma in prima secundæ quæst. 74. artic. 3. ad 2. quatuor pulcherrimas propositiones, communiter etiam animaduersas à DD. & præcipuè à Mag. Medina in fine Comment. illius art. Prima est, quod corruptio perpetua sensualitatis, quæ est fomes; secundum quem sensus nostri sunt proni atq. procliues ad malū ab adolescentia sua, nunquam tollitur in hac vita. Quippe peccatum originale quamuis trāseat reatu, id est quantum ad culpam, tamen manet actu, quantum ad fomitem, nempe quantum ad inclinationem.

Quatuor pulcherrimæ propositiones.

Secunda est, quod homo in hac mortali ac caduca vita potest singulos sensualitatis motus inordinatos cauere ex facultate liberi arbitrij, si eos præsentiat.


Tertia est, quod homo, propter dictam sensualitatis corruptionem, nequit omnes simul illius motus inordinatos compescere, quin aliquando labatur: dum enim V. G. aliquis trāsfert cogitationem suam à delectationibus carnis, volens concupiscentiæ motus vitare ad speculationem scientiæ, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus.

Quarta est, quod motus inordinati sensualitatis imputantur homini ad culpam, quia pro sua libertate potest

est singulos carere. Hoc enim sufficit ad hoc vt illi imputetur, sed

Ego hic finem tum huius Disputationis, tum tertij Tractatus facio, in laudem Dei benedicti, ac Deiparæ Virginis.

Finis Tractatus Tertij.



TRAC

TRACTATVS QVARTVS.

De causis Peccati.

DISPVTATIO PRIMA.

De causa peccati in generali.

CAPVT PRIMVM

Quàm absurdè ac impiè cùm olim, tùm hodie nonnulli de causa peccati existimauerint.

RES extra omnem controuersiam est, peccatum habere sui causam, quia de nouo fit, cum nõ esset. At quænam huiusmodi causa statuenda sit, olim maximè fuit exagitatum, nec hodiè inter omnes omninò conuenit: idq; & propter rei ipsius abstrusitatem, & longè magis propter impudentem hæreticorum in omni ætate peruicatiam.

Peccatum habet sui causam sed quæ sit, fuit maximè cõtrouersum.

Manichæi finxerunt duo esse prima principia apprimè inter se se diuersa, quorum vnum efficeret omnia bona, alterum efficeret omnia mala: ac proinde quemadmodum omnia bona reducuntur ad vnum

Error manichæorum.

primum ac summum bonum tanquam in primã causam, ex cuius efficientia ac participatione existunt, sic è regione omnia mala in vnum primum ac summũ malum reduci, ex cuius iisdem effectione ac participatione illa fierent. Vnde etiam iactitabant, *peccatores natura esse malos, & productos ab illo malo principio*. Auctores huius erroris referunt Epiphanius hæres. 34. 35. 41. & 42. Iræneus lib. 1. contra hæres. Valentini cap. 14. 28. & 29. Tertullianus lib. de Præscript. hæret. D. August. hæres. 13. 14. 21. 22. & 46. & alij SS. PP.

Manichęorum error nouem annos torsit, & detinuit Augusti.

Qui quidem error ab iisdem Patribus validissimè confutatur: funditus verò a S. Augustino, (quem aliquando multùm etiam torserat) euersus est; vt videre licet in opere, quod contra Manichæos elaborauit, de natura boni, & in libris de libero arbitrio, & in lib. de Morib. Eccles. & alibi sæpe. Eundem errorem subuertit S. Thomas in prima part. quæst. 49. art. 3. & libro tertio cont. Gen. cap. 15 vbi & ipse, & eius interpretes ex instituto demonstrant, implicare contradictionem, quod detur aliquod summum malum. Quare vt optimè adnotat S. Doctor in art. illo 3. ad 4. *nullum ens dicitur malum per participationem, sed per priuationem participationis: unde non oportet fieri reductionem ad aliquid quod sit per essentiam malum*. Qua de re nos etiam ex parte diximus supra Tract. 1. Disput. 4. cap. 1.

Aliorum hæreticorũ blasphemia, quod Deus sit causa peccati.

Subsecuti sunt alij hæretici, quos refert Thomas Valdensis lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 21. & 22. Et S. Antoninus part. 4. tract. 11. cap. 7. qui exsecrabiliter affirmauerunt, Deum ipsum esse verè causam, & auctorem cuiuscunq; peccati. Horum analecta legit Lutherus, Caluin. Melacton, & consimilis impietatis grex, qui eandem pestem ab inferis reuocauere,

uere, asseuerantes Deum esse causam, & verum cuiusuis peccati pratratorem in nobis. Quid? addunt, Deum non modo esse causam, & auctorem peccati, verùm etiam cogere atq; impellere homines ad peccandum. Loca, quibus isti hæretici id asserunt, fusè affert Roffensis art. 36. contra Lutherum, & Didacus Aluarez lib. de Auxilijs disput. 3. qua tamen de re quia infra accuratius redibit sermo, nunc non est, quod edisseram.

Valentinus verò hæreticus, & quidam alij, vt auctor est Castro lib. 1. contra hæres. Verbo peccatum, hæres. 3: dixerunt omne peccatum absolutè esse ex sugestione & impulsu dæmonis, & non ex libero arbitrio: ideòq; subiungebant, nullum futurum fuisse peccatum, si dæmones defuissent. Nihilominus veritas catholica est, veram peccati causam in ipso homine esse quærendum, pro cuius explicatione, sit. Hæresis Valentini.

CAPVT SECVNDVM.

Quod causa peccati est voluntas hominis: Et quomodo?

QVIA voluntate peccatur, aut rectè viuitur, peccatum erit mala quædam soboles in nobis à nobis ipsis voluntariè procreata; siue est mala aliqua voluntatis propago. ergo voluntas erit ipsius causa. Voluntas est causa peccati.

Porrò in peccato duo spectantur, actus positiuus, & deordinatio, siue carentia rectitudinis debitæ in esse: vtrumque suo modo debet habere causam. Actus, vt pote aliquid positiuum, habet causam per se, deordinatio verò habet causam tantum per accidens. Per actum hic non intelligo tantummodo actū Voluntas est causa cū per se, tùm per accidēs

nudè in esse entis spectatum, sed intelligo etiam actũ, quo Voluntas se se inordinatè conuertit ad aliquod bonum commutabile, in qua quidem conuersione, vt a nobis supra Tract. 1. Disput. 3. cap. 2. explicatum est, sita ac reposita iacet radix & essentia peccati: ad quem quidem actum consequitur malitia priuatiua, siue carentia rectitudinis debitę inesse. Quæ omnia sic explicanda, & probanda sunt.

Voluntas est causa per se actus peccaminosi.

Et primò quod voluntas sit causa per se dicti actus voluntarij, perspicuum est, tum quia ille actus est vitaliter a voluntate elicitus, ergo procedit ab ea tanquam a vera sui causa, & per se: tum etiam, quia quilibet actus habet suam causam per se: ergo etiam ille. Atqui nulla alia germana eius causa assignari potest præter voluntatem.

Causa per accidens est duplex.

Vt autem appareat quonam pacto voluntas constituatur causa solum per accidens deordinationis, atq; carentiæ rectitudinis debitæ inesse, scire oportet, duobus modis contingere, (quantum ad præsens attinet) aliquid esse causam per accidens respectu alicuius. Vno quidem, quatenus remouendo prohibens, dicitur esse causa per accidens alterius inde consequentis, quemadmodum explicat Aristoteles lib. 8. de Phys. auscult. cap. 4. *Ita causat ille, qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit a vase in quo est aqua.* Inquit Philosoph. eo loci tex. 32. Altero modo dicitur causa per accidens, quatenus est causa eius, quod est adiunctum effectui, quem per se causat. Sicut ignis per se quidem causat in aqua calorem, per accidens autem causat priuationem frigiditatis in eadem aqua, quod est exemplum S. Thomæ in prima secundæ quæst. 75. art. 1.

Quomodo Volũtas est causa per accidens deordinationis.

Vtroq; modo voluntas statuenda est causa per accidens dictæ deordinationis. Primò, quia remouet

regu-

regulam rationis, & legis diuinæ, quę si adesset, non subsequeretur peccatum. Secundò, quia est causa per se actus positiui, cui adiuncta & consociata est præfata deordinatio. *Sic ergo Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem*, inquit S. Doctor in art. illo 1. citato.

Hinc intelligimus primò, quo pacto Voluntas in peccandò dicatur a Sanctis Patribus potius causa deficiens, quam efficiens, quia cum peccatum, qua huiusmodi, sit quidam defectus, peccare erit quoddam deficere, & peccati causa, hoc est voluntas erit deficiens. Hæc verò peccandi, siue deficiendi radix inest Voluntati ex eo, quia est ex nihilo condita: ex hoc enim in ea sequitur quædam negatio perfectionis, & stabilitatis, quæ est, vt liberè possit labi quemadmodum explicat S. August. lib. 2. de lib. arb. cap. 20. lib. de fide ad Petrum cap. 3. lib. 12. de Ciuit. cap. 6. & 7. D. Greg. lib. 20. morol. cáp. 3. & lib. 25. cap. 5. & S. Thomas in prima part. quæst. 62. art. 1.

Cur Voluntas est causa deficiens in peccando.

Intelligimus secundò, quod cum omnis causa per accidens reducatur in aliquam causám per se, in præsenti non est quærenda alia peccati causa prior ipsa voluntate, sed Voluntas vt est causa peccati per accidens, sicut iam exposui, reducitur ad se ipsam, vt est causa per se actus; quemadmodum in naturalibus quoq; id ipsum animaduertere licet. Nam ignis vt est causa per accidẽs priuationis frigiditatis in aqua, reducitur ad se ipsum vt est causa per se caloris in eadem aqua.

Voluntas vt est causa per accidẽs peccati reducitur ad se ipsam vt est causa per se actus

Iccircò in genere deficientis haud quærenda est alia prior vniuersaliorue causa ipsa voluntate liberè peccante, neq; vlla alia siuę causa, siuę ratio postulanda

In genere deficientis non est quærenda alia causa prior voluntate.

da est, cur Voluntas peccet, quàm quod ea liberè sic vult, sicut luculenter explicat S. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 17. & 18. & lib. 2. de Ciuit. cap. 6. & 7. Ideo in Sacris litteris Voluntas hac de re exprobratur, vt Oseæ 3. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Visne hoc idem in rebus quoq; natura constantibus animaduertere? Arbor, cuius radix notabili aliqua labe laboret, producit fructus aliquo vitio inspersos: ad quorum productionem, & accretionē concurrunt etiam superni ac cælestes influxus. Vnde quidquid entitatis ac perfectionis in illis fructibus adest, id totum etiam pendet ac producitur a dictis influxibus, tanquam a causis vniuersalibus. Cæterùm labes ac vitium illorum fructuum nulla ratione ad influxus refertur, sed solum ad arborem, siue ad labefactatam radicem. Ita de Voluntate respectu peccati philosophare: quidquid enim in eo entitatis ac perfectionis est, id totum pendet etiam ac producitur a causa prima; deformitas autem in solam Voluntatem suapte cōditione defectibilem refertur: De qua tamen re paulo inferius.

Quomodo defectus causæ particularis in eā solam refertur.

Sed dices, prẹter Voluntatem, datur ne in homine aliqua alia causa peccati?

Respondeo, quod immediata, proxima, & adæquata causa peccati est liberum arbitrium. Hoc autem est per intellectum, & Voluntatem: propterea, & intellectus, & Voluntas sunt causa peccati: sed diuerso modo. Nam intellectus, quemadmodum supra Tract. 1. Disput. 1. cap. 2. patefeci, est radix libertatis, prout Voluntati practicè dictat, hoc esse amplectendum, aut respuendum. Sic intellectus per huiusmodi dictamen est quasi radicalis causa peccati: Voluntas autem est formaliter libera, & sic etiam est quasi formalis eiusdem peccati causa.

Quomodo intellectus sit causa peccati.

Insu-

Insuper in eodem homine datur alia etiam peccati causa interior, sed tamen mediata. Talis est imaginatio, siue apprehensio, & etiam appetitus sensitiuus: Siquidem per hasce facultates proponitur aliquod bonum apparens, quod hominem ad peccandum allicit inclinatq;

Quomodo Imaginatio & appetitus sensitiuus.

Postremo internæ quoq; peccati causæ censentur Ignorantia, Passio, & Malitia, de quibus, quia in Tractatu secundo huius operis exactissime egi, in præsentia verbum non addam. Quare progrediendum est ad causas peccati externas, incipiemus verò a Deo. Et quia in peccato duo sunt, actus videlicet ipse, & deformitas; siue peccatum formaliter, considerandum erit, quomodo Deus respectu vtriusq; se habeat.

quare sit.

DE

DISPVTATIO SECVNDA.

Quomodo ſe habeat Deus reſpectu peccati formaliter.

CAPVT PRIMVM

Demonſtratur, Deum nullo pacto dici poſſe cauſam vllius peccati.

Quatuor nefanda dicta hæreticorum noſtri temporis.

TEtigimus in primo capite huius Tractatus virulentam hæreticorum, præcipuè noſtri temporis opinionem: nunc diſtinctius, & referenda,& confutanda eſt. Quatuor teterrima aſſerta dicti hæretici huc intrudunt, vt refert P. Martinus Becanus in ſua ſumma Theolog. Tract. 2. cap. 6. queſt. 1. Primum eſt, Deum ex omni æternitate non ſolum præſciuiſſe, ſed efficaciter etiam voluiſſe, ordinaſſe,& prædeſtinaſſe,vt fierent omnia illa peccata, quæ ſuis temporibus ab hominibus committuntur. Secundum, Deum in tempore mandare atq; impellere diabolum, vt homines ad peccatum inducat. Tertium, Deum ipſum in tempore incitare atq; cogere eos ipſos homines ad peccandum. Poſtremum, Deum non modo incitare, impellere, & cogere, ad peccandum, ſed etiam operari noſtra peccata. Quinimo ipſum magis quàm nos operari: quia ipſe eſt agens principale, nos verò tantum inſtrumenta. Quorum falſitas vt appareat.

Dico primò: Deus ab æterno cognoſcit omnia peccata, quæ in quocunq; tempore futura ſunt.

Deus ab æterno cognoſcit omnia peccata.

Probatur, quia Prouerb. 15. dicitur, *Infernus & perditio coram Deo.* Et ratio huius affertur à S. Thoma in prima part. quæſt. 14. art. 10. quia Deus perfectè cognoſcit omnia bona, ergo cognoſcit etiam illa omnia, quæ poſſunt aliquibus illorum accidere, per quæ illa corrumpuntur. Sed mala & peccata ſunt huiuſmodi, ergo Deus ab æterno cognoſcit omnia illa.

Dico ſecundò: Deus ab æterno non voluit peccata, neq; ordinauit, aut prædeſtinauit ea eſſe futura; ſed ſolum poſitiuè permiſit.

Deus ab æterno nullum peccatum vult, neq; determinat.

Hæc aſſertio eſt contra primum hæreticorum dictum: Euincitur tamen vel paucis his, quæ ſubijcio. Et quidem prior pars, quia *Deus*, vt Sapient. 15. dicitur, *mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* & Abacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris.* ideſt, iniquitatem non probabis.

Eadem pars demonſtratur ratione. Primùm, quia Deus non poteſt poſitiuè id quod eſt contrarium ſuæ naturæ, velle; Atqui peccatum eſt contrarium diuinæ naturę, quia peccatum eſt malitia, Deus autem eſt ſumma bonitas.

Idem rationibus demôſtratur.

Deinde, Quidquid Deus vult, id omne eſt conforme atq; conſonum ſuæ diuinæ voluntati; ac proinde etiam diuinę legi & regulæ. Peccatum autem eſt contra voluntatem, legem, & regulam Dei; quare ſi eſſet à Deo volitum, ſimul eſſet peccatum, & non eſſet peccatum. Præterea, ſi Deus vellet peccata, & ordinaret atq; prædeſtinaret hominem ad peccandum, ergo qui de facto peccant, non peccarent: etenim qui ſuam voluntatem & operationem conformant voluntati diuinæ, ij ſanè non peccant. Ad extremum, ſequeretur

tur, nos quotidie orare, vt fiant peccata; quia quotidie dicimus, fiat voluntas tua. blasphemum itaq; est, quod Deus velit, aut ordinet vllum vnquam peccatũ.

In posteriori conclusionis parte consultò addidi, permittit *positiue*: quia Deus respectu permissionis peccati, atq; etiam reprobationis, non se habet solum negatiue, vt nonnulli contendunt, sed habet actum positiuum Voluntatis, quo vult permittere fieri peccata, & aliquos re ipsa in ea labi.

Deus permittit fieri peccata.

Doctrina est S. Thomæ in prima part. quæst. 23. art. 3. vbi hanc affert rationem, quia sicut prædestinatio est pars prouidentiæ, quæ includit actum Voluntatis ordinandi aliquos in vitam æternam; sic ad eandem prouidentiam spectat, permittere aliquos ab eo fine decidere. Quare *sicut prædestinatio includit Voluntatē conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pænam pro culpa.* Inquit S. Doctor in fine corporis eius art. Idem docet S. August. cùm sæpe alibi, tum præcipuè in Enchi. cap. 100. quo loci explicans illud Psal. 120. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates, &c.* Hæc inter alia scribit, *vt miro, & infallibili modo non fiat præter eius Voluntatem, qod etiam contra eius fit Voluntatē, quia non fieret, si non sineret: neq; vtiq; nolens sinit, sed volens: neq; sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens esset, & de malo facere posset benè.* Quibus quidem in verbis liquidò dici conspicis, Deũ velle permittere malum fieri, idq; ex prouidentia, propter maius bonum.

Et hoc facit actu voluntatis siue positiue.

Dico tertio, Deus in tempore nullius peccati causa est: & longè minus incitat, aut impellit quemquam ad peccandum.

Deus neq; est causa cuiusquam peccati in tempore.

Assertio est contra alia duo hæreticorum dicta. Sed probatur. Primò luculentissimis Sacrarum litterarũ

pro-

proloquijs. Sapientiæ 11. dicitur, *nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed Deus odit peccatum, nam Prouerb. 15. *Abominatio est Domino via impij: Et, odio est Deo impius, & impietas eius.* Non ergo in tempore peccatum facit. Præterea, Psal. 144. habetur, *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Eccles. 15. *Non dixeris, per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris; Non dicas ille me implantauit: non enim necessarij sunt ei homines impij, omne execramentum erroris odit Deus.* Iacobi 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quod a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Et D. Paulus id quasi pro comperto, & euidenti reliquit ad Rom. 9. cum dicit, *Nunquid iniquitas est apud Deum? absit.* Sic etiam definitur in multis Concilijs, & præcipuè in Trident. sess. 6. c. 6.

Secundò probatur rationibus, quarum prima sit, quia quæcunq; Deus quomodocumq; operatur, ea in semetipsum, & in suum amorem conuertit: vt enim Prouerb. 16. scribitur, *omnia propter semetipsum operatus est altissimus.* Sed peccatum, cùm sit recessus a Deo, nequit ad eum conuerti, nequit ergo neq; ab eo vllo pacto effici.

Secunda, lumine naturali compertum est, vnum cõtrarium non facere alterum sibi contrarium. Vnde Aristoteles in primo de Phys. auscult. tex. 51. *Qualiter enim,* inquit, *densitas raritatem facere apta nata sit, aut hæc densitatem? similiter autem, & alia quæcumque contrarietas; non enim amicitia litem congregat, & facit aliquid ex ipsa; neq; lis ex illa.* Sed Deus est summa rectitudo, summa bonitas, summa veritas, ergo contradictionem inuoluit, vt ab eo vllum vnquam peccatum aut malum efficiatur: quia peccatum est defectus, & aberratio a rectitudine Dei, est intrinsecè malum, & est bonitatis diuinæ, quãtum in ipso, est destructiuum, (Vnum contrariũ non facit alterum sibi cõtrarium.)

quemadmodum supra Tract. 1. Disp. 4. cap. 3. multis patefeci.

Deus neminem incitat ad peccandum.

Posterior verò conclusionis pars, quod *Deus* nec incitet, nec cogat quemquam ad peccandum, iisdem conuincitur rationibus. Adde, quod qui alium incitat cogitq; ad peccatum, fit particeps ejusdem peccati. *Deus* autem nequit particeps esse vllius peccati. Quid? nos ipsi experimur liberè, & non coactè peccare. Postremò, vrgeas cum S. August. lib. de fide contra Manichęos cap. 5. & lib. de Vera relig. cap. 4. *quia alias iniustè puniretur peccatum a Deo.*

Blasphemũ est dicere, Deum esse principale agens peccandi.

Dico quartò, enormis etiam blasphemia est, quod *Deus* in tempore operetur in nobis nostra peccata, & sit principale illorum agens.

Hæc assertio manifestè colligitur ex supra dictis; nã si *Deus* veluti principale agens operaretur peccata nostra, nos verò essemus solum instrumenta, sequeretur, *Deum* potius quàm nos peccare: quia in opere malo non instrumentum, sed principale agens reprehenditur. Atqui *Deus*, vt hucusq; ostendimus, nulla ratione peccare potest. Postremò, quia peccare est deficere. *Deus* autem in agẽdo deficere nequit. Hinc S. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 7. *Nemo*, inquit, *quærat causã malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia neq; illa est effectio, sed defectio.* Quomodo autem *Deus* concurrat, & causet actum peccati, in quantum actus, & ens est, non autem causet ipsum peccatum, suo loco dicetur. Interea lubet nonnulla argumenta contraria his, quæ decreta sunt, audire. Sit ergo.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Explicata nonnulla sacrarum litterarum loca, quibus haeretici aduersus hanc veritatem, fulciunt improbitatem suam.

OBijciunt primò, In sacris voluminibus complura, eaq; grauia peccata dicuntur esse facta ex definito consilio, & Voluntate Dei. Ergo Deus ab æterno verè voluit, decreuitq; illa, vt fierent. Assumptum patet in execrando Iudæorum peccato, qui Seruatorem nostrum crucifixerũt, de quo Act. 2. dicitur, *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum interemistis*. Et cap. 4. *conuenerunt aduersus Christum facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Sic etiam Genes. 48. Ioseph de peccato fratrum suorum dicit, *Non vestro consilio, sed Dei Voluntate huc missus sum:* Ita sexcentis alijs in locis. Ergo Deus ex omni æternitate, definit, ac determinat peccata fieri.

Respondeo, Crucifixionem Christi domini, quà est ens, verè fuisse, & volitam, & ordinatam, & intentam a Deo: quà autem a mala Iudæorum voluntate procedebat, fuisse tantummodo permissam. Quare passio Christi, bifariam spectari potest. Primò, in quantũ erat effectus, seu potius defectus procedens a voluntate Iudæorum, qui eam contra fas, iusq; inferebant. Et sic fuit sacrilega, sicut decretum ipsum, quo Christum morte turpissima condemnauerunt. Secundò potest eadem passio considerari ad voluntatem Christi, qua quidem propter nos homines, & propter nostrã salutem, ex obedientia Patris mortẽ sustinuit, eamq: acceptauit, & cum posset, noluit eam impedire, sed voluntariè impietati Iudæorum cessit, qui illam nefa-

Crucifixio Christi quo modo volita, quomodo permissa à Deo.

primum ac summum bonum tanquam in primā causam, ex cuius efficientia ac participatione existunt, sic è regione omnia mala in vnum primum ac summū malum reduci, ex cuius iisdem effectione ac participatione illa fierent. Vnde etiam iactitabant, *peccatores natura esse malos, & productos ab illo malo principio*. Auctores huius erroris referunt Epiphanius hæres. 34. 35. 41. & 42. Iræneus lib. 1. contra hæres. Valentini cap. 14. 28. & 29. Tertullianus lib. de Præscript. hæret. D. August. hæres. 13. 14. 21. 22. & 46. & alij SS. PP.

Manichæorum error nouem annos torsit, & detinuit Augusti.

Qui quidem error ab iisdem Patribus validissimè confutatur: funditus verò a S. Augustino, (quem aliquando multùm etiam torserat) euersus est; vt videre licet in opere, quod contra Manichæos elaborauit, de natura boni, & in libris de libero arbitrio, & in lib. de Morib. Eccles. & alibi sæpe. Eundem errorem subuertit S. Thomas in prima part. quæst. 49. art. 3. & libro tertio cont. Gen. cap. 15 vbi & ipse, & eius interpretes ex instituto demonstrant, implicare contradictionem, quod detur aliquod summum malum. Quare vt optimè adnotat S. Doctor in art. illo 3. ad 4. *nullum ens dicitur malum per participationem, sed per priuationem participationis: vnde non oportet fieri reductionem ad aliquid quod sit per essentiam malum*. Qua de re nos etiam ex parte diximus supra Tract. 1. Disput. 4. cap. 1.

Aliorum hæreticorū blasphemia, quod Deus sit causa peccati.

Subsecuti sunt alij hæretici, quos refert Thomas Valdensis lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 21. & 22. Et S. Antoninus part. 4. tract. 11. cap. 7. qui exsecrabiliter affirmauerunt, Deum ipsum esse verè causam, & auctorem cuiuscunq; peccati. Horum analecta legit Lutherus, Caluin. Melacton, & consimilis impietatis grex, qui eandem pestem ab inferis reuocauere;

uere;

uere, asseuerantes Deum esse causam, & verum cuiusuis peccati pratratorem in nobis. Quid? addunt, Deum non modo esse causam, & auctorem peccati, verùm etiam cogere atq; impellere homines ad peccandum. Loca, quibus isti hæretici id asserunt, fusè affert Roffensis art. 36. contra Lutherum, & Didacus Aluarez lib. de Auxilijs disput. 3. qua tamen de re quia infra accuratius redibit sermo, nunc non est, quod edisseram.

Valentinus verò hæretieus, & quidam alij, vt auctor est Castro lib. 1. contra hæres. Verbo peccatum, hæres. 3: dixerunt omne peccatum absolutè esse ex sugestione & impulsu dæmonis, & non ex libero arbitrio: ideòq; subiungebant, nullum futurum fuisse peccatum, si dæmones defuissent. Nihilominus veritas catholica est, veram peccati causam in ipso homine esse quærendum, pro cuius explicatione, sit.

Hæresis Valentini.

CAPVT SECVNDVM.

Quod causa peccati est voluntas hominis: Et quomodo?

QVIA voluntate peccatur, aut rectè viuitur, peccatum erit mala quædam soboles in nobis à nobis ipsis voluntariè procreata; siue est mala aliqua voluntatis propago. ergo voluntas erit ipsius causa.

Voluntas est causa peccati.

Porrò in peccato duo spectantur, actus positiuus, & deordinatio, siue carentia rectitudinis debitæ in esse: vtrumque suo modo debet habere causam. Actus, vt pote aliquid positiuum, habet causam per se, deordinatio verò habet causam tantum per accidens. Per actum hic non intelligo tantummodo actũ

Voluntas est causa cũ per se, tùm per accidẽs

nudè in esse entis spectatum, sed intelligo etiam actũ, quo Voluntas se se inordinatè conuertit ad aliquod bonum commutabile, in qua quidem conuersione, vt a nobis supra Tract. 1. Disput. 3. cap. 2. explicatum est, sita ac reposita iacet radix & essentia peccati: ad quem quidem actum consequitur malitia priuatiua, siue carentia rectitudinis debitę inesse. Quæ omnia sic explicanda, & probanda sunt.

Voluntas est causa per se actus peccaminosi.

Et primò quod voluntas sit causa per se dicti actus voluntarij, perspicuum est, tum quia ille actus est vitaliter a voluntate elicitus, ergo procedit ab ea tanquam a vera sui causa, & per se: tum etiam, quia quilibet actus habet suam causam per se: ergo etiam ille. Atqui nulla alia germana eius causa assignari potest præter voluntatem.

Causa per accidens est duplex.

Vt autem appareat quonam pacto voluntas constituatur causa solum per accidens deordinationis, atq; carentiæ rectitudinis debitæ inesse, scire oportet, duobus modis contingere, (quantum ad præsens attinet) aliquid esse causam per accidens respectu alicuius: Vno quidem, quatenus remouendo prohibens, dicitur esse causa per accidens alterius inde consequentis, quemadmodum explicat Aristoteles lib. 8. de Phys. auscult. cap. 4. *Ita causat ille, qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit a vase in quo est aqua.* Inquit Philosoph. eo loci tex. 32. Altero modo dicitur causa per accidens, quatenus est causa eius, quod est adiunctum effectui, quem per se causat. Sicut ignis per se quidem causat in aqua calorem, per accidens autem causat priuationem frigiditatis in eadem aqua, quod est exemplum S. Thomæ in prima secundæ quæst. 75. art. 1.

Quomodo Volũtas est causa per accidens deordinationis.

Vtroq; modo voluntas statuenda est causa per accidens dictæ deordinationis. Primò, quia remouet

regu-

regulam rationis, & legis diuinæ, quę si adesset, non subsequeretur peccatum. Secundò, quia est causa per se actus positiui, cui adiuncta & consociata est præfata deordinatio. *Sic ergo Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem*, inquit S. Doctor in art. illo 1. citato.

Cur Voluntas est causa deficiens in peccando.

Hinc intelligimus primò, quo pacto Voluntas in peccandò dicatur a Sanctis Patribus potius causa deficiens, quam efficiens, quia cum peccatum, qua huiusmodi, sit quidam defectus, peccare erit quoddam deficere, & peccati causa, hoc est voluntas erit deficiens. Hæc verò peccandi, siue deficiendi radix inest Voluntati ex eo, quia est ex nihilo condita: ex hoc enim in ea sequitur quædam negatio perfectionis, & stabilitatis, quæ est, vt liberè possit labi quemadmodum explicat S. August. lib. 2. de lib. arb. cap. 20. lib. de fide ad Petrum cap. 3. lib. 12. de Ciuit. cap. 6. & 7. D. Greg. lib. 20. morol. cap. 3. & lib. 25. cap. 5. & S. Thomas in prima part. quæst. 62. art. 1.

Voluntas vt est causa per accidẽs peccati reducitur ad se ipsam vt est causa per se actus

Intelligimus secundò, quod cum omnis causa per accidens reducatur in aliquam causam per se, in præsenti non est quærenda alia peccati causa prior ipsa voluntate, sed Voluntas vt est causa peccati per accidens, sicut iam exposui, reducitur ad se ipsam, vt est causa per se actus; quemadmodum in naturalibus quoq; id ipsum animaduertere licet. Nam ignis vt est causa per accidẽs priuationis frigiditatis in aqua, reducitur ad se ipsum vt est causa per se caloris in eadem aqua.

In genere deficientis non est quærenda alia causa prior voluntate.

Iccircò in genere deficientis haud quærenda est alia prior vniuersaliorue causa ipsa voluntate liberè peccante, neq; vlla alia siue causa, siue ratio postulā-

da

da est, cùr Voluntas peccet, quàm quod ea liberè sic vult, sicut luculenter explicat S. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 17. & 18. & lib. 2. de Ciuit. cap. 6. & 7. Ideo in Sacris litteris Voluntas hac de re exprobratur, vt Oseæ 3. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Visne hoc idem in rebus quoq; natura constantibus animaduertere? Arbor, cuius radix notabili aliqua labe laboret, producit fructus aliquo vitio inspersos: ad quorum productionem, & accretionẽ concurrunt etiam superni ac cælestes influxus. Vnde quidquid entitatis ac perfectionis in illis fructibus adest, id totum etiam pendet ac producitur a dictis influxibus, tanquam a causis vniuersalibus. Cæterùm labes ac vitium illorum fructuum nulla ratione ad influxus refertur, sed solum ad arborem, siue ad labefactatam radicem. Ita de Voluntate respectu peccati philosophare: quidquid enim in eo entitatis ac perfectionis est, id totum pendet etiam ac producitur a causa prima; deformitas autem in solam Voluntatem suapte cõditione defectibilem refertur: De qua tamen re paulo inferius.

Quomodo defectus causæ particularis in eã solam refertur.

Sed dices, pręter Voluntatem, datur ne in homine aliqua alia causa peccati?

Respondeo, quod immediata, proxima, & adæquata causa peccati est liberum arbitrium. Hoc autem est per intellectum, & Voluntatem: propterea, & intellectus, & Voluntas sunt causa peccati: sed diuerso modo. Nam intellectus, quemadmodum supra Tract. 1. Disput. 1. cap. 2. patefeci, est radix libertatis, prout Voluntati practicè dictat, hoc esse amplectendum, aut respuendum. Sic intellectus per huiusmodi dictamen est quasi radicalis causa peccati: Voluntas autem est formaliter libera, & sic etiam est quasi formalis eiusdem peccati causa.

Quomodo intellectus sit causa peccati.

Insu-

Insuper in eodem homine datur alia etiam peccati causa interior, sed tamen mediata. Talis est imaginatio, siue apprehensio, & etiam appetitus sensitiuus: Siquidem per hasce facultates proponitur aliquod bonum apparens, quod hominem ad peccandum allicit inclinatq;

Quomodo Imaginatio & appetitus sensitiuus.

Postremo internæ quoq; peccati causæ censentur Ignorantia, Passio, & Malitia, de quibus, quia in Tractatu secundo huius operis exactissime egi, in præsentia verbum non addam. Quare progrediendum est ad causas peccati externas, incipiemus verò a Deo. Et quia in peccato duo sunt, actus videlicet ipse, & deformitas; siue peccatum formaliter, considerandum erit, quomodo Deus respectu vtriusq; se habeat. quare sit.

DISPVTATIO SECVNDA.

Quomodo ſe habeat Deus reſpectu peccati formaliter.

CAPVT PRIMVM

Demonſtratur, Deum nullo pacto dici poſſe cauſam vllius peccati.

Quatuor nefanda dicta hæreticorum noſtri temporis.

TEtigimus in primo capite huius Tractatus virulentam hæreticorum, præcipuè noſtri temporis opinionem: nunc diſtinctius, & referenda,& confutanda eſt. Quatuor teterrima aſſerta dicti hæretici huc intrudunt, vt refert P. Martinus Becanus in ſua ſumma Theolog. Tract. 2. cap. 6. queſt.1.Primum eſt, Deum ex omni æternitate non ſolum præſciuiſſe, ſed efficaciter etiam voluiſſe, ordinaſſe,&prædeſtinaſſe,vt fierent omnia illa peccata, quæ ſuis temporibus ab hominibus committuntur. Secundum,Deum in tempore mandare atq; impellere diabolum, vt homines ad peccatum inducat. Tertium, Deum ipſum in tempore incitare atq; cogere eos ipſos homines ad peccandum. Poſtremum, Deum non modo incitare, impellere, & cogere, ad peccandum, ſed etiam operari noſtra peccata. Quinimo ipſum magis quàm nos operari: quia ipſe eſt agens principale,nos verò tantum inſtrumenta. Quorum falſitas vt appareat.

Dico primò: Deus ab æterno cognoſcit omnia peccata, quæ in quocunq; tempore futura ſunt. Deus ab æterno cognoſcit omnia peccata.

Probatur, quia Prouerb. 15. dicitur, *Infernus & perditio coram Deo*. Et ratio huius affertur à S. Thoma in prima part. quæſt. 14. art. 10. quia Deus perfectè cognoſcit omnia bona, ergo cognoſcit etiam illa omnia, quæ poſſunt aliquibus illorum accidere, per quæ illa corrumpuntur. Sed mala & peccata ſunt huiuſmodi, ergo Deus ab æterno cognoſcit omnia illa.

Dico ſecundò: Deus ab æterno non voluit peccata, neq; ordinauit, aut prædeſtinauit ea eſſe futura; ſed ſolum poſitiuè permiſit. Deus ab æterno nullum peccatum vult, neq; determinat.

Hæc aſſertio eſt contra primum hæreticorum dictum: Euincitur tamen vel paucis his, quæ ſubijcio. Et quidem prior pars, quia *Deus*, vt Sapient. 15. dicitur, *mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium*. & Abacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & ad iniquitatem reſpicere non poteris*. ideſt, iniquitatem non probabis.

Eadem pars demonſtratur ratione. Primùm, quia Deus non poteſt poſitiuè id quod eſt contrarium ſuæ naturæ, velle; Atqui peccatum eſt contrarium diuinæ naturę, quia peccatum eſt malitia, Deus autem eſt ſumma bonitas. Idem rationibus demôſtratur.

Deinde, Quidquid Deus vult, id omne eſt conforme atq; conſonum ſuæ diuinæ voluntati; ac proinde etiam diuinę legi & regulæ. Peccatum autem eſt contra voluntatem, legem, & regulam Dei, quare ſi eſſet à Deo volitum, ſimul eſſet peccatum, & non eſſet peccatum. Præterea, ſi Deus vellet peccata, & ordinaret atq; prædeſtinaret hominem ad peccandum, ergo qui de facto peccant, non peccarent: etenim qui ſuam voluntatem & operationem conformant voluntati diuinæ, ij ſanè non peccant. Ad extremum, ſequeretur

tur, nos quotidie orare, vt fiant peccata: quia quotidie dicimus, fiat voluntas tua. blasphemum itaq; est, quod Deus velit, aut ordinet vllum vnquam peccatũ.

In posteriori conclusionis parte consultò addidi, permittit *positiue*: quia Deus respectu permissionis peccati, atq; etiam reprobationis, non se habet solum negatiue, vt nonnulli contendunt, sed habet actum positiuum Voluntatis, quo vult permittere fieri peccata, & aliquos re ipsâ in ea labi.

Deus permittit fieri peccata.

Doctrina est S. Thomæ in prima part. quæst. 23. art. 3. vbi hanc affert rationem, quia sicut prædestinatio est pars prouidentiæ, quæ includit actum Voluntatis ordinandi aliquos in vitam æternam; sic ad eandem prouidentiam spectat, permittere aliquos ab eo fine decidere. Quare *sicut prædestinatio includit Voluntatẽ conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Inquit S. Doctor in fine corporis eius art. Idem docet S. August. cùm sæpe alibi, tum præcipuè in Enchi. cap. 100. quo loci explicans illud Psal. 120. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates, &c.* Hæc inter alia scribit, *vt miro, & infallibili modo non fiat præter eius Voluntatem, qod etiam contra eius fit Voluntatẽ, quia non fieret, si non fineret: neq; vtiq; nolens finit, sed volens: neq; fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens esset, & de malo facere posset benè.* Quibus quidem in verbis liquidò dici conspicis, Deũ velle permittere malum fieri, idq; ex prouidentia, propter maius bonum.

Et hoc facit actu voluntatis siue positiue.

Dico tertio, Deus in tempore nullius peccati causa est: & longè minus incitat, aut impellit quemquam ad peccandum.

Deus neq; est causa cuiusquam peccati in tempore.

Assertio est contra alia duo hæreticorum dicta. Sed probatur. Primò luculentissimis Sacrarum litterarũ pro-

proloquijs. Sapientiæ 11. dicitur, *nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Sed Deus odit peccatum, nam Prouerb. 15. *Abominatio est Domino via impij*: Et, *odio est Deo impius, & impietas eius*. Non ergo in tempore peccatum facit. Præterea, Psal. 144. habetur. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Ecclesi. 15. *Non dixeris, per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris; Non dicas ille me implantauit: non enim necessarij sunt ei homines impij, omne execramentum erroris odit Deus*. Iacobi 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quod a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. Et D. Paulus id, quasi pro comperto, & euidenti reliquit ad Rom. 9. cum dicit, *Nunquid iniquitas est apud Deum? absit*. Sic etiam definitur in multis Concilijs, & præcipuè in Trident. sess. 6. c. 6.

Secundò probatur rationibus, quarum prima sit, quia quæcunq; Deus quomodocumq; operatur, ea in semetipsum, & in suum amorem conuertit: vt enim Prouerb. 16. scribitur, *omnia propter semetipsum operatus est altissimus*. Sed peccatum, cùm sit recessus a Deo, nequit ad eum conuerti, nequit ergo neq; ab eo vllo pacto effici.

Secunda, lumine naturali compertum est, vnum contrarium non facere alterum sibi contrarium. Vnde Aristoteles in primo de Phys. auscult. tex. 51. *Qualiter enim*, inquit, *densitas raritatem facere apta nata sit, aut hæc densitatem? similiter autem, & alia quæcumque contrarietas; non enim amicitia litem congregat, & facit aliquid ex ipsa; neq; lis ex illa*. Sed Deus est summa rectitudo, summa bonitas, summa veritas, ergo contradictionem inuoluit, vt ab eo vllum vnquam peccatum aut malum efficiatur: quia peccatum est defectus, & aberratio a rectitudine Dei, est intrinsecè malum, & est bonitatis diuinæ, quãtum in ipso, est destructiuum,

Vnum contrariũ non facit alterum sibi cõtrarium.

CAPVT SECVNDVM.

Explicata nonnulla sacrarum litterarum loca, quibus haeretici aduersus hanc veritatem, fulciunt improbitatem suam.

OBijciunt primò, In sacris voluminibus complura, eaq; grauia peccata dicuntur esse facta ex definito consilio, & Voluntate Dei. Ergo Deus ab æterno verè voluit, decreuitq; illa, vt fierent. Assumptum patet in execrando Iudæorum peccato, qui Seruatorem nostrum crucifixerũt, de quo Act. 2. dicitur, *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum interemistis*. Et cap. 4. *conuenerunt aduersus Christum facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Sic etiam Genes. 48. Ioseph de peccato fratrum suorum dicit, *Non vestro consilio, sed Dei Voluntate huc missus sum:* Ita sexcentis alijs in locis. Ergo Deus ex omni ęternitate, definit, ac determinat peccata fieri.

Respondeo, Crucifixionem Christi domini, quà est ens, verè fuisse, & volitam, & ordinatam, & intentam a Deo: quà autem a mala Iudæorum voluntate procedebat, fuisse tantummodo permissam. Quare passio Christi, bifariam spectari potest. Primò, in quantũ erat effectus, seu potius defectus procedens a voluntate Iudæorum, qui eam contra fas, iusq; inferebant. Et sic fuit sacrilega, sicut decretum ipsum, quo Christum morte turpissima condemnauerunt. Secundò potest eadem passio considerari ad voluntatem Christi, qua quidem propter nos homines, & propter nostrã salutem, ex obedientia Patris mortẽ sustinuit, eamq: acceptauit, & cum posset, noluit eam impedire, sed voluntariè impietati Iudæorum cessit, qui illam nefa-

Crucifixio Christi quomodo volita, quomodo permissa a Deo.

rië

cor Pharaonis. Sic Isa. cap. 6. *excaecator populi huius*. Sic multis alijs in locis, quare, &c.

Hæc, & consimilia sacrarum litterarium eloquia porrò intelligi nequeunt, quod Deus vel sit alicuius peccati patrator, vel ad illud impulsor, quia id innumeris alijs in locis, vt supra ostensum est, eædem sacræ paginæ apertè inficiuntur. Quare vario modo à Sanctis Patrib. exponuntur. Primò dicunt, omnia illa testimonia in arg. allata debere intelligi de permissione: vt Deus dicatur facere errare, decipere, excæcare, &c. quia permittit hęc fieri.

Quatuor explicationes ad nonnulla loca sacr. litt.

Hinc erat communis SS. Patrum regula, quando aliqua hominis, aut dæmonis improbitas Deo tribuitur, id tantum permissiuè intelligendum esse. Ita S. August. lib. de gratia, & liber. arb. cap. 23. Chrysost. homil. 36. in Matth. & Damascen. lib. 4. de fide orthod. cap. 20. Vbi id quoq; animaduertendum est, quod licet non omnis, qui aliquid permittit, dici queat facere, incitare, aut impellere, vt illud fiat, nihilominus quia Deus occulto ac iusto suo iudicio permittit hoc, vel illud peccatum, propter hunc vel illum finem, ideo permissio eius, cum dirigatur ad certum finem, dicitur facere, & incitare ad illud, quod permittit: quemadmodum, exempli gratia, Venator dicitur capere leporem, quia in eum permittit canem: quamuis nihil aliud faciat, quàm quod funem laxet, quo canis retinebatur. Sic Deus permittit primùm laxando, siue negando quibusdam specialem suę gratiæ opem, qua quidem actu caueant peccata. Deinde, quia non impedit conatum eorum, qui a sua ipsorum prauitate perinde parati sunt malè agere, atq; canis ad insectandū leporem. Hoc intellectu profertur illud Psal. 81. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Et Act. 14. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi*

Prima explicatio.

gredi vias suas.

Secunda explicatio.

Secundò aiunt, Deum dici errare facere, excæcare, indurare peccatores, &c. non modo quia permittit, vt homines per liberum suum arbitrium semetipsos in errores immittant, excæcent, atq; obdurēt in peccatis, sed etiam quia permittit, vt dæmon veluti diuinæ suę iustitiæ minister, eos in errorem inducat, excæcet, obduretq; in peccatis; quemadmodum Iudex dicitur id efficere, quod exequitur eius minister. Ita Orig. homel. 2. in lib. Iudicum, Chrysost. homil. 67. in Ioan. S. August. libro de Ciuit. cap. 19. & S. Greg. 25. moral. cap. 12. & 13.

Tertia explicatio.

Tertiò dicunt, eadem & consimilia Sanctarū Scripturarum verba, debere intelligi negatiuè: vt sensus sit, Deus aliquem errare facit in vijs suis, id est eum non dirigit in ijs: decipit, hoc est, non erudit; excæcat, nempe non illuminat, indurat, id est, non emollit: &c. Ita S. August. loco nuper inducto: Euthimius ad Psal. 68. S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 162. Hinc S. Greg. lib. 11. moral. cap. 5. *obdurare*, inquit, *dicitur Deus per iustitiam, quando cor reprobum per gratiam non emollit*. Et lib. 29. eiusdem operis cap. 24. circa illud Exo. 10. *Ego indurau cor eius*, hæc omninò scribit. *Semetipsum Dominus hanc duritiā gignere perhibet, non quod prauorum mentes ipse ad culpā formet, sed quod a culpa non liberet, sicut hic scriptum est; Ego indurau cor Pharaonis, quod quia misericorditer emollire noluit, profectò districtè se obdurare nunciatur*. Vide S. Thomam in prima secundi quæst. 79. art. 3.

Quarta propositio.

Quartò eadem testimonia explicari possunt, quod Deus dicatur facere errare, decipere, indurare, &c. indirectè, & occasionaliter. Sicut explicat S. Thomas in commentarijs super Epist. ad Rom. cap. 9. circa illud, *quia in hoc ipsum excitauite*. Sic Theodoretus

super

super Psal. 104. & S. August. lib. 7. de grat. & lib. arb. cap. 20. explicant illud Psal. 104. *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius.* aiunt quippe, id Deum perpetrasse, non quidem peruertendo Ægyptiorum corda, sed maiora beneficia in suum populum conferendo, vnde Ægyptij maioris & agrestioris odij occasionem sumpsere.

Postremò, neq; hoc ignorandum erit, nonnulla ex sacris illis eloquijs in illo arg. allatis, cuiusmodi est Isa. 41. *Ego Dominus creans malum:* Amos 3. *non est malum in ciuitate quod Dominus non fecerit,* idq; genus alia, exponi etiam à SS. Patrib. non de malo morali siue culpæ, sed de malo naturali, & pœnæ: quæ reuera bona, & à Deo verè & intenta, & producta sunt, vt ostendit S. Thomas in prima part. quæst. 49. art. 2. Et in prima secund. quæst 79. art. 3. ad 1.

Mala pœnæ vere sunt à Deo volita, & intenta.

Vnde etiam eruitur discrimen, cur Deum absolutè asserere possumus causam excæcationis, & indurationis; nunquam autem causam peccati? Ratio est, quia peccatum formaliter denotat deformitatem, & culpam; quæ in Deum tanquam in causam referri nequit: excæcatio autem & induratio potius importat rationem pœnæ, quàm culpæ, vt aduertit S. Thomas in responsione illa ad 1.

Cur Deus dicatur causa excæcationis, nunquã verò peccati?

DISPVTATIO TERTIA.

Quomodo se habet Deus respectu actus peccati, qua actus est.

CAPVT PRIMVM.

Opinio, & fundamenta, quod Deus non concurrit immediatè ad actum peccati.

DVDVM a nobis expositum est, in quocumque peccato duo inesse, deformitatem, & actum: Tum, in Disputatione proximè antegressa patefecimus, Deum nullo vnquam modo esse, constituiue posse causam peccati formaliter, siue deformitatis ipsius; nunc videndum incumbit, an sit causa actus, quà actus est, & quomodo. Qua quidem in re multiplex ac diuersa est Doctorum opinio.

Sententia Origenis quod Deus non concurrit immediatè ad actum voluntatis.

Ac primùm quidam catholici, vt refert Magister Sent. in secundo, dist. 37. cap. 1. existimarunt, Deum non esse causam immediatam effectricem actus peccati; immo verò neq: cuiusquam alterius actus voluntarii, neq; ad illum concurrere per actualem concursum, sed dici tantummodo, ac esse causam mediatam, quia videlicet produxit, & conseruat liberum hominis arbitrium, quod se solo concurrit, producitq; suos actus. Hunc dicendi modum tribuit S. Thomas in tertio cont. Gent. cap. 89. Origeni.

Quod

Quod quidem dogma postea amplexatus est Durand. in secundo, dist. 1. quæst. 5. & extendit etiam ad quascunq; alias causas secundas, inquiens, cum operatur causa particularis, V.g. cum ignis producit calorem, non concurrere causam vniuersalissimam, Deum actu, & immediatè, sed tantum mediatè; quatenus nimirum produxit causam particularem, eiq; vim agendi elargita est, & quatenus tam ipsam causam particularem, quàm virtutem eius actiuam in esse conseruat.

Quæ sententia, quod attinet ad actum peccati, suadetur primò. Si Deus actu, immediatè, & propriè concurrit ad producendum actum peccati, aut concurrit ita, vt immediatè attingat, producatq; totum ipsum effectum, aut solum aliquam eius partem, aut deniq; immediatè tantum mouet voluntatem crearam, vt ipsa postea excitata, mota, & applicata, se sola dictum effectum eliciat. Quę sententia probatur.

Non primum, quia si Deus immediatè ac propriè producit totum illum effectum, ergo superfluè agit voluntas: nec quicquam illius actus ei amplius producendum relinquitur. Impossibile quippe est, vt vnus numero effectus, totus producatur ab vna aliqua causa, & quod idem producatur ab alia.

Non secundum, quia iam daretur aliqua portio illius actus, quam Deus immediatè non ageret.

Non deniq; tertium, quia si Deus immediatè excitat, mouet, ac determinat voluntatem hominis vt actu effectum hunc operetur, ergo ipsa non remanet libera ad operandum, & non operandum. Consequentia videtur conspicua, quandoquidem si voluntas actu à Deo excitatur, mouetur, & in particulari ad hunc potius, quàm ad quemvis alium effectum producendum determinatur, profectò ea non potest non excitari, moueri, & determinari ad eliciendum hunc numero

effectum: etenim contradictionem inuoluit, quod mouens actu moueat aliquod mobile, & quod ipsum actu non moueatur. Quare voluntas non remanet indifferens ac libera, cum libertas posita sit in indifferentia tum contrarietatis, tum contradictionis.

Eadē sent. confirmatur. Confirmatur, & explicatur hoc magis. Si Deus, cum voluntas N: vult homicidium, concurrit actu, & immediatè ad illum actum, qua actus est, aut concurrit eademactione, qua ipsamet voluntas operatur, aut diuersa. Non eadem, quia impossibile est, eandem numero actionem esse a duobus immediatis ac perfectis agentibus, quæ sint numero distincta. Verumenimvero quamuis eadem numero actio prodire possit a duobus, quorum vnum immediatè, alterum mediatè concurrat, vel etiam vtrumq; concurrat partialiter, nihilominus vt procedat a duobus immediatè, & completè, omninò fieri nequit.

Neq; etiam potest concurrere diuersa actione, siquidem aut per illam Dei actionem producitur totus effectus voluntatis, & sic ea nihil habet, quod amplius producat: aut tantum pars illius effectus: At tunc causa vniuersalis efficeretur causa particularis, siue partialis.

Et insuper, quia adhuc non concurret cum voluntate ad producendum eundem numero actū vsquequaq; sed aliquid illius actus ita produceretur a voluntate, vt a Deo nullo modo produceretur: Et cum dici non possit, quæ, ac quanta pars præfati effectus producatur à Deo, & quæ, ac quanta a voluntate, planè videtur id esse proximum figmento. Hæc pro ista sententia, quā antequam euertamus, audiendæ sunt etiā aliæ. Vnde.

In altero extremo steterunt alij, in quorum sententiam iuit Gabriel in quarto Sent. dist. 1. quæst. 1. art. 1. & 3. asseuerans, Deum ita ad effectum cuiuscunq; causæ

causę secundæ concurrere, vt causa secunda nihil omninò producat, sed solus Deus ad illius præsentiam operetur. Quam opinionem S. Thomas in tertio cont. Gent. cap. 69. multis conuincit. Et in prima part. quæst. 105. his omninò eam refert, & impugnat. *Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt, quod nulla virtus creata aliquid operetur in rebus, sed solus Deus immediatè omnia operetur, puta, quod ignis non calefaceret, sed Deus in igne, & similiter de omnibus alijs. Hoc autem est impossibile. Primò quidem, quia sic subtraheretur ordo causæ, & causati a rebus creatis, quod pertinet ad impotentiam creantis. Ex virtute enim agentis est, quod suo effectui det virtutem agendi. Secundò, quia virtutes operatiuæ, quæ in rebus inueniuntur, frustra essent rebus attributa, si per eas nihil operarentur: quinimò omnes res creatæ viderentur quodammodo esse frustra, si propria operatione destituerentur.* Hæc S. Doctor, nec ego de hac sententia plura: quare pergo. Opinio, qđ solus Deus producat actum causæ secundæ. Euertitur.

CAPVT SECVNDVM.

Eorum opinio, & fundamenta, quod Deus *solum permissiuè se habet ad actum peccati, qua actus est.*

ALII Doctores Theologi (nostra etiam ætate clarissimi) in ea versantur opinione, quod Deus non producat actum peccati, in quantum actus, & ens est, propriè, positiuè, ac per se, sed ad eum se habeat solum permissiuè. Quæ sententia probatur. Opinio, quod Deus solum permittat actū peccati.

Primò, si Deus verè causaret actum peccati, verè causaret peccatum ipsum. Quod tamen, dicendum non est. Consequentia vel hinc suadetur, quia quod est causa alicuius rei, est etiam causa eius, quod competit illi rei secundum suam essentiam: alias causaret Primum argum.

simul

ſimul & non cauſaret eandem omninò rem. Sed actui peccati intrinſecè, & eſſentialiter competit malitia, ergo, ſi Deus verè cauſaret illũ, verè etiam cauſaret eiuſdem malitiam, ſiue peccatum ipſum. Minor videtur manifeſta, præſertim in actibus, qui eſſentialiter, & ex obiecto ſunt mali V. G. in odio Dei.

Secundum arg. Secundò, Quotieſcunq; aliqua duo inſeparabiliter ſunt inter ſe coniuncta, quicumq; cauſat vnum, cauſat quoq; & alterum. Actus peccati, & eius deformitas ita ſunt: nec enim vſpiam inuenies actum V.G. odij Dei, aut blaſphemiæ, cui non intrinſecè intimèq; coniuncta atq: aſſociata ſit deformitas; quare ſi Deus propriè ac per ſe producit actum odij Dei, producet etiam eiuſdem deformitatem.

Tertiũ arg. Tertiò, homo non alia ratione cenſetur vera ac legitima peccati cauſa, niſi quia verè ac per ſe elicit huiuſcemodi actum, ad quem neceſſario conſequitur deformitas. Nam homo in peccando non intendit malum, ſed ipſum actum. Quod ſi itaque Deus quoque poſitiuè, verè, ac per ſe eum ipſum actum efficit, cur non idem eodem modo cenſendus ſit cauſa peccati?

Quartum arg. Quartò, ſi Deus neceſſario conſtituendus eſt vera cauſa actus peccati, id maximè erit, quia ille actus eſt quoddam ens, & omne ens eſt a Deo. Atqui hoc non conuincit: Nam etiam ipſa malitia peccati formaliter eſt aliquod ens poſitiuum, vt oſtendimus ſupra Tract. 1. Diſput. 3. cap. 2. & 3. vel ergo ipſa quoq; malitia formaliter erit a Deo, vel non propterea actus peccati efficietur a Deo.

Quintum arg. Quintò, Theologi cum Magiſtro Sent. in quarto, diſt. 45. diſtinguunt diuinam permiſſionem circa mala opera ab eiſdem operatione circa bona, quia hæc verè ac propriè efficit, illa nequaquam, ſed ſolum permittit, vt fiant. Hinc D. Auguſt. in Enchir. cap. 96. & lib.

& lib. de dono perseu. cap. 6. *Nihil*, inquit, *fit, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo*. Quid? S. Thomas in primo Sent. dist. 49. quæst. 1. art. 4. & in prima secundæ quæst. 49. art. 2. ad 3. & in prima part. quæst. 19. art. 9. itidem ad 3. luculenter docet, mala fieri, Deo neq; volente vt fiant, neq; volente vt non fiant, sed tantummodo permittente: Excipe eius verba. *Deus neq; vult mala fieri, neq; vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri.* Sed si Deus verè ac per se efficeret actus peccatorum, iam nullum adesset discrimen inter eius operationẽ, & permissionem: Et Deus verè vellet mala fieri: quæcunq; enim efficit, ea porrò verè vult fieri.

Postremò, hoc ipsum conceptissimis verbis videtur sanxisse Concilium Triden. dum in sessione sexta can. 6. ita decernit. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed opera mala, ita vt bona eum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se; adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Quo quidem sancito palam sacra synodus determinat, Deum mala hominis opera permissiuè solummodo operari, & non propriè ac per se, quemadmodum operatur bona, quæ cùm ipse facit, tum nos facit vt ea ipsa faciamus. His nihil officientibus, veritas tamen in oppositum stat, pro qua sit,

Vltimum arg.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Deus verè ac immediatè, tum propriè ac per se, & non solum permissiuè producit actum peccati, quà actus, & ens est.

Demonstratur ex sacris litt. Deum producere immediatè quemcunq; effectum causa secundæ.

DEVM Opt. Max. actu, immediatè, ac intimè tum in voluntate nostra, tum in omni omninò creatura operari, atq; vnà cum illis veluti primam omnium causam producere earundem effectus, in sacris litteris habetur clarissimè, & ratione naturali conuincitur euidenter. Nam Isaiæ 26. dicitur, *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Ad Philippenses 2. *Ipse operatur in nobis velle, & perficere*. Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Quid plura? Veritas apud Ioan. 15. de se ipso ita promulgat, *sine me nihil potestis facere*. Iccircò solent sæpenumero sacræ paginæ operationes effectionesq; causarum secundarum, Deo veluti in natura operanti tribuere, vt innuant huiuscemodi actiones, & effectus principalius intimiusque a Deo, quàm a secundis causis proficisci, vt Iob. 10. *pelle, & carnibus vestisti me: ossibus, & neruis compegisti me, &c.*

Idē demonstratur ratione naturali.

Probatio autē Philosophica hęc est. In mouentibus, & agentibus per se, & essentialiter subordinatis, inferius non mouet, nec agit nisi motū ac determinatum à superiori. Ita demonstrat Stagirites cum sæpe alibi, tum in octauo Physicæ auscult. Vnde in tex. 33. ita colligit. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum: illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum: & sine primo vltimum non mouebit, illud autem sine hoc: vt baculus non mouebit, non mouente homine.* Quod reculcat etiam in tex. 41. *Quod enim*, inquit, *prius est, magis causa*

est mouendi, quàm sequens; & mouebit magis. Hinc, & in eodem octauo lib. & in secundo Primæ Philos. concludit, hujusmodi mouentia haud posse infinita constitui, quia motio priorum mouentium, si essent infinita, nunquam ad vltimum mouens perueniret, ac proinde hoc nunquam moueret, cum sine motione priorum mouentium mouere nequeant.

Sed quæcunq; causa secunda, eo quod secunda, per se, & essentialiter subordinatur primæ. Quod etiam docuit Aristoteles memorabili illa sententia libro primo Meteor. cap. 2. *Est autem mundus hic ex necessitate continuus quodammodo superioribus lationibus. vt omnis ipsius virtus inde gubernetur.* De qua re multis egimus in opere nostro de Meteoris lect. 6. 7. & 8. ergo quæcunque causa secunda absolutè nunquam operatur, nisi mota, determinata, & applicata a prima: ac proinde, & causa prima, & causa secunda suo modo, & ordine producunt eundem numero effectum, sicut securis, & manus artificis edunt eandem numero sectionē. Et propterea etiam ab Aristotele secundo Physic. tex. 26. dicitur, quòd *Sol, & homo generant hominem*. Et Isaias hominem comparatione Dei facit tanquam securim comparatione artificis.

Deus septē modis dicitur concurrere ad omnem actionem causæ secundæ.

Quæ quidem veritas quo clarius ac distinctius habeatur, collige ex S. Thoma tertio cont. Gent. cap. 67 Deum multifariam concurrere ad quamcunque actionem secundarum causarum. Primò, quia ipse condidit causas secundas. Secundò, quia dedit illis vires, & facultates agendi. Tertiò, quia easdem causas secundas, earumque facultates sustentat, & in esse ac vigore conseruat. Quartò, quia dirigit causas secundas, vt ad suos fines ipsis ignotos perueniant. Quintò, quia mouet, determinat, applicatq; eas ad agendum, veluti principale agens mouet instrumenta. Sextò, eas diri-

git in operando. Septimò denique vnà cum illis producit earundem effectus. Neque ab hac serie eximenda est voluntas nostra etiam in operationibos suis liberis, cum re ipsa sit causa secunda, & subordinata primæ: *A* cuius tamen motione, & determinatione nihil in sua libertate officitur; quia ita a prima causa mouetur & determinatur ad hoc, vt se ipsa etiam moueat, & possit etiam pro innata sua libertate respuere hoc, & amplecti oppositum, de qua re suo loco. Ex his itaq; liquet, quomodo Deus actu, immediatè, ac intimè concurrit, & producit omnem quarumcunq, secundarum causarum effectum.

Quod Deus nō permissiuè, sed verè producit actum peccati.

Venio nunc ad alteram opinionem relatam in secundo capite; aduersus quam ita statuo. Deus suo cōcursu verè, efficienter, propriè, ac per se operatur cum voluntate nostra actum malum, siue actum peccati, inquantum actus, & ens est; ac proinde non se habet solum permissiuè respectu entitatis illius actus, sed est vera, & per se causa illius.

Probatur ex S. Thoma.

Ita ex instituto docet S. Doctor cum alibi, tunc præcipuè in secundo, d st. 37. Quæst. 2. art. 2. & in prima secund. quæst. 79. art. 2. cuius verba & ratio hæc sunt. *Dicendum, quod actus peccati, & est ens, & est actus, & ex vtroq; habet quod sit a Deo. Omne enim ens quocunq; modo sit, oportet quod deriuetur a primo ente, vt patet per Dion. cap. 5. de diu. no. omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu; quia nihil agit, nisi secundum quod est actu; omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus: vnde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis, inquantum est actio.*

Deinde, si Deus verè efficienter & per se non operatur entitatem actus peccati, non erit absolutè prima causa cuiuscunq; entitatis creatæ; ac proinde intruden-

dendum erit aliud primum principium, a quo illa entitas producatur; & sic erunt duo prima principia. Quæ tamen fuit hæresis Manichæorum. Profectò, actus ille est quoddam ens, nec sortitur esse a semetipso, quare si nec a Deo produceretur, omninò debet ab alio tanquam a prima causa produci atq; pendere.

Nisi Deus producat actũ peccati, ponẽda sũt duo prima principia.

Præterea, existentia cuiuscunq; rei est proprius effectus Dei, vt docet S. Thomas lib. secundo Cont. Gent. cap. 21. & lib. tertio cap. 66. & de Verit. Quæst. 5. art. 9. & in prima part. quæst. 8. art. 1, *quia cum Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis*. Atqui actus peccati est quoddam verè existens in rerum natura; quare contradictionem inuoluit; ipsum non esse proprium effectum Dei, ab eoq; verè efficienter ac per se productum.

Existentia est proprius effectus Dei

Ad extremum, permissio (vt aduersæ sententiæ auctores fatentur) nullam importat actionem, aut efficientiam respectu illius, quod fieri permittitur, sed solum dicit impedimenti negationem, quia permissio ab operatione atq; efficientia contradistinguitur. Quo igitur pacto hic actus potest esse tantum permissus a Deo, & etiam ab eodem effici? Sed age iam explicemus.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo Deus est vera, efficiens, & per se causa actus peccati, & tamen non est causa ipsius peccati.

EXplicare qui vnquam Deus Opt. Max. sit causa actus peccati, nec tamen sit ipsius peccati, siue deformitatis, quę cum illo actu necessariò ac inseparabiliter coniuncta est, semper habita fuit res multi laboris; ideòque a præclarissimis viris varij hujusce rei aperiendæ modi excogitati sunt, quos percensere instituti nostri non est. Eum solummodo dabo, qui mihi & penitius rem attingere, & dilucidius explicare videtur: ac primò quidem.

Res explica tu difficilis

Recolendū est ex ijs quæ supra Tract. primo Disp. 3. cap. 2. ostendimus, in quocumque peccato dupliciter esse malitiam: Alteram positiuam, quæ ex conuersione ad bonum commutabile, siue ad obiectum virtuti contrarium hauritur, per quam quidem maliciam peccatum collocatur in vna aliqua specie. Alteram priuatiuam, quæ ex auersione ab incommutabili bono sumitur, juxta illud Hierm. 2. *duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.* Distinctè igitur enodandum nobis erit, quomodo Deus neq; priuatiuæ, neq; positiuæ deformitatis causa sit, quamuis sit vera ac per se causa actus peccati.

In quouis peccato est malitia priuatiua, & positiua.

Et quod ad malitiam priuatiuam attinet, ea syncerè nihil est aliud quàm quædam priuatio rectitudinis rationis, consequens ad indebitum actum. Verùm priuatio dupliciter potest ad aliquem actum sequi: Primò, ita vt oriatur ex ipsa natura atq; essentia actus secundum se spectati; quemadmodum ad calefactionem

Fundamentum valdè tenendum.

nem in aqua consequitur priuatio frigiditatis. Secundò, sequitur priuatio ad aliquem actum, non quidem ex ipsa natura, & essentia eius secundum se considerati, sed prout talis actus subest habitudini ad certum aliquod agens, quod ex præcepto, & recta ratione tenetur ad actum oppositum. Ita sequitur priuatio rectitudinis rationis, siue malitia priuatiua ad actum V. G. homicidij, aut fornicationis: Non enim istæ priuationes sequuntur ad huiusmodi actus secundum se, & secundum suam ipsorum essentiam acceptos, sed prout duntaxat progrediuntur ab agente, cui tales actus prohibiti sunt. Hoc vel ex eo liquidò conspicis, quòd in occisione hominis, siue a fera, siue ab amente, siue ab Iudice perpetrata, nulla huiuscemodi priuatio inest, neq; talis hominis interfectio mala, aut peccaminosa est. Hoc ipsum conspicuè vides in accessu Iacob ad Liam; Ille namq; re ipsa accessit ad non suam, nec tamen peccauit, quia id fecit ex ignorantia inuincibili, vt supra Tract. 2. Disput. 3. cap. 2. docuimus.

Ad hæc, quando aliquid est causa alicuius actus, ad quem primo modo, nempe ex natura, & essentia ipsius actus consequitur priuatio, tunc illud est etiam causa, saltem per accidens, priuationis inde secutę, vt in exẽplo adducto de igne animaduertere licet. Et in re proposita, (quod est exemplum Magist. Medinæ) *Si Deus ad actum fornicationis, siue deflorationis concurrit, est etiam causa priuationis virginitatis, quia amissio virginitatis ad actum illum ex natura, & essentia rei consecuta est*. Quando autem aliquid est causa alicuius actus, quem priuatio solum secundo modo iam explicato comitatur, non est necesse vt quod est causa actus, sit quoque causa subsecutæ priuationis.

Si igitur priuatio rectitudinis rationis in peccato, siue

Colligitur, Deum non esse causam malitiæ priuatiuæ.

siue malitia priuatiua non consequitur actum peccati ex intrinseca illius ratione, sed quà duntaxat subſtat habitudini ad tale agens, nimirum ad liberum hominis arbitrium defectuosè operans, manifestè apparet, quod Deus benè potest producere totum actum peccati, & non producere præfatam peccati priuationem, siue deformitatem priuatiuam; sed tota ea refertur in liberum hominis arbitrium, qui tenetur, & potest rectè agere, nec agit, sed agit defectuosè. Hæc de malitia priuatiua.

Quod autem Deus non sit causa deformitatis positiuæ peccati, quamuis sit auctor, & causa omnis omninò entitatis, ita declaro: pro quo,

Omnis effectus reducitur in causã sibi proportionatam.

Accipio primum ex communi Philosophorum decreto, quod omnes effectus reducuntur in causas sibi proportionatas: effectus naturales in causas naturales, effectus artefacti in artificiales; effectus per se in causam per se, effectus per accidens in causam per accidens, effectus morales in causas morum, ita reliqui quicunque, vt explicat Arist. lib. secundo Physic. auscult. cap. 3. & lib. quarto Metaphys. cap. 2. *vnde tot modis dicuntur causæ, quot & causata.*

Ad eundem effectũ multæ causæ.

Et quia ad vnum, & eundem effectum conflandum conueniunt Causæ conglobatæ, ideircò vnus atq; idem effectus secundum aliam atq; aliam habitudinem, & rationem formalem refertur ad aliam atque aliam causam. Æs. V. G. qua effectus naturæ, in naturam ipsam veluti in sui causam reuocatur; qua autem est tali vel tali figura ornatum, refertur vt in sui causam ad artẽ. Ita genuflexio, prout secundum se est motus quidam hominis, habet pro causa naturam, quæ ex secundo Physic. tex. 3. est principium motus, vt autẽ meritoria, habet causam moralẽ; sic in reliquis. Lubeat hac de re aurea Stagiritæ verba ex illo secundo capite libri quarti

ti Metaph. audire, quæ sunt. *At cum multifariam causæ dicantur, accidit multas quoque eiusdem non secundum accidens causas esse; vt statuæ, & ars statuaria, & ipsum æs, non secundum aliud quippiam, sed prout statua est, non tamen eodem modo, sed hoc quidem vt materia, illa verò vt vnde motus.*

Conuersio ad bonum commutabile duplici-ter considera-tur.

Accipio secundò, quod conuersio ad bonum commutabile, siue ad obiectum virtuti contrarium, in qua positiua peccati deformitas reposita est, & per quam peccatum constituitur in specie, quemadmodum loco iam indicato, Tract. 1. Disput. 3. cap. 2. patefeci, gemino modo spectari potest, nempe in esse naturę, & in esse moris. Primo modo consideratur prout solum est quædam entitas realis, constituta in Prædicamento siue Qualitatis, siue actionis, distincta specie a quacunque alia entitate: & hoc pacto spectata conuersio contrariatur virtuti contrarietate solum naturali; perinde atq; album contrariatur nigro; Sic genuflexio intra naturæ limites considerata est quædam entitas, & motus specie a quacunque alia entitate, & motu distinctus. Et tantum naturali contrarietate aduersatur leuationi genuflectentis, quia illa est motus deorsum; hęc sursum. Quocirca conuersio in peccato præcisè iuxta hanc rationem accepta, nullam omninò importat habitudinem ad causam moralem, vel deficientem. Secundò consideratur ea ipsa conuersio in esse mali moralis, id quod sortitur solum quatenus a causa morali ac defectuosa procedit, quia effectus (vt dixi) debet respondere suæ causæ. Causa autem moralis in peccato, quemadmodum & in actionibus meritorijs, est libera hominis voluntas, quæ tenetur, & potest ex regula & tramite rationis rectè agere, & nihilominus agit malè.

Hinc collige primò, quod actus peccati, siue con-

uer-

uersio ad bonum commutabile spectata in esse moris non importat aliam entitatem ab ea, quam importat considerata in esse naturæ, sed solum addit supra naturalem eius entitatem, habitudinem intrinsecam ad causam moralem deficientem.

Collige secundò, quod conuersio præcisè in esse naturæ pensitata, non auertit a Deo; vt vides in accessu Iacob ad Liam.

Quomodo Voluntas nostra subordinatur Deo, & quomodo non.

Collige tertiò, quod voluntas etiam nostra dupliciter considerari potest respectu actus peccati atque adeò ipsius conuersionis ad bonum commutabile. Primò, absolutè vt quoddam agens secundum, intra naturæ limites tali aut tali modo operans; quo pacto subordinatur Deo vt primę rerum omnium causæ, eam mouenti, applicanti, & cooperanti; & sic non peccat.

Secundò consideratur vt agens morale, & quidem in hoc genere scilicet morali, in bonis quidem operationibus adhuc subordinatur Deo, quia in illis verè, & propriè, est efficiens. In malis autem deficit: peccare namque deficere est; quo pacto nec subditur, nec subordinatur Deo, sed potius ab illius ordine exorbitat, & in hoc deficiendi genere voluntas est prima causa, seu primum deficiens. His ita constitutis, statuo hæc asserta.

Prima Conclusio.

Primum, omne illud quod habet actus peccati, atq; adeò conuersio ipsa ad bonum commutabile, a voluntate nostra simpliciter vt ab agente secundo, est a Deo; illud autem quod habet a voluntate nostra, vt a causa morali defeciente, non est a Deo.

Vtraque assertionis pars colligitur ex fundamentis iam habitis. Et quidem prior, quia agens secundum, quà huiusmodi, non agit, nisi vt motum a primo; & actio atque effectus subsequens ita est totus huius, vt totus quoq; sit illius, imò & magis. Posterior etiam

pars

pars patet, quia voluntas secundum hanc rationem est primum deficiens. Ergo id quod habet actus peccati, & conuersio a voluntate, vt a causa morali deficiente, non est a Deo, cum effectus debeat respondere suæ causæ.

Secundum assertum, Deus verè efficienter ac per se est auctor, & causa conuersionis ad bonum commutabile, siue ad obiectum virtuti contrarium, quatenus illa conuersio contrariatur bono, & virtuti, solum contrarietate naturali: non autem quatenus contrariatur contrarietate morali. Secunda conclusio.

Vtraq; huius pars euidenter sequitur ex supradictis. Et preterea, prima pars probatur, quia Deus est auctor & causa omnis entitatis positiuæ, idque non solum secundum gradum genericum, sed etiam specificum & singularem, vt demonstrat S. Thomas tertio cont. Gent. cap. 162. ergo est causa etiam actus peccati secundum eius speciem, cum eius species sit aliquid positiuum. At species talis actus sumitur ex dicta conuersione, ergo Deus est vera, assiciens, ac per se causa illius conuersionis, consideratæ vt in conclusione dicimus.

Adde, quod vnaquæque creatura secundum totam suam entitatem, omnesque sui gradus entitatiuos est ens per participationem: Ergo si dicta conuersio est aliquod ens, omnino pendet a Deo, ente per essentiam, secundum totam suam entitatem, & omnem entitatis gradum.

Secunda etiam pars conspicua est, quia conuersio vt contrariatur incommutabili bono, & virtuti, est malũ morale. Ergo hoc pacto non est a Deo, sed a sola voluntate, vt a causa morali deficiente. Hinc itaque conspicis, quomodo Deus sit causa conuersionis, & non eius malitiæ, seu deformitatis, sed hæc tota refertur in solam voluntatem defecti se operantem: Vt tamen hoc magis ac magis introspicias, sit.

CAPVT QVINTVM.

Adhuc vberius illustratur nostra sententia quibusdam exemplis, & a nonnullis, obiectionibus liberatur.

Auctores de re proposita variè, & obscurè loquuntur.

INtegra quam hucusque enodaui sententia, colligitur quidem ex grauissimis auctoribus, sed diuisim ideòque confusè, & obscurissimè, vt videre licet apud Caietanum in primam secundæ S. Thomæ, quæst. 18. art. 5. & quæst. 71. art. 6. & quæst. 79. art. 2. Magist. Medin. & Aluarez in eodem art. 2. Hinc Medina inuehitur in Caietanum: Aluarez hunc tuetur: At nescio an vterque satis. Alij alijs modis, & armis digladiantur. Mihi verius, & commodius visum est, eo quo feci modo, rem explicare. Num hoc dicendi modo in re abstrusa ac perdifficili, quicquam claritatis indicarim, tua existimatio, Candide lector, valeat.

Exempla plurimùm iuuant ad intelligendum res obscuras.

Verùm, quoniam in quacunque re abdita, exempla plurimum iuuant, *Quando enim aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla*. Inquit S. Thomas in prima part. quæst. 84. art. 7. age nonnulla exempla hic subijciamus, quibus DD. Theologi illustrare connati sunt, qui vnquam Deus sit auctor, & causa totius entitatis in peccato repertæ, nec tamen sit causa deformitatis illius.

Primum exemplum.

Primum est de defectu claudicationis, quo vtitur S. August. in lib. de perfectione iustitiæ, expositione 4. & S. Thomas sæpe, præcipuè autem in prima secund. quæst. 79. art. 2. *Quod defectus peccati non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium: sicut de-*

defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam sicut in causam, non autem in virtutem motiuam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa huius, quod actus sit cum defectu.

Secundum exemplum est in peccato originali. Vt enim Deus concurrit cum homine, & semine ad generationem hominis, nec tamen concurrit ad peccatum originale, quod sequitur ad illam, quia huiusmodi peccatum non oritur ex generatione hominis, quà generatio est, nec ex virtute seminis, vt ens est, sed vt dicit ordinem ad causam deficientem, nimirum materialiter ad concupiscentiam naturæ corruptæ; ita in præsenti dicendum. Quid? proprium & immediatum subiectum peccati originalis, vt probat D. Thomas in secundo sent. dist. 31. quæst. 2. art. 1. & in prima secund. quæst. 83. artic. 2. & quæst. 4. de malo artic. 4. non est corpus, sed ipsamet anima rationis & consilij compos. Hæc autem immediatè creatur à Deo: nihilominus Deus non facit in ea peccatum originale, quia cum hoc sit peccatum naturæ humanæ, consurgit in anima solum prout hæc dicit habitudinem ad corpus, ex propagatione seminali concretum. Eodem ergo, & potiori modo Deus producit quicquid in peccato actuali est entitatis ac perfectionis, nec tamen producit eius defectum, quia hic consurgit prout solũ importatur habitudo ad liberum hominis arbitrium defectuosum. **Secundum exẽplum.**

Tertium exemplum est; Cælum concurrit ad omnes actiones horum inferiorum. Sit arbor, cuius radix insigni aliqua labe ac putredine sit labefactata: Hæc producat fructus vitio infectos: cœlum veluti causa vniuersalis, causat quicquid in ijs fructibus entitatis ac **Tertium exemplum.**

perfectionis est: vitium autem illorum fructuum non in cœlum, sed in solam radicem putridam referendum est. Ita Philosophare de Deo, & libero arbitrio. Ex his igitur, & validissimis rationibus, & clarissimis exemplis probata, & illustrata manet sententia nostra.

Prima obiectio. Sed contra secundam partem nostræ sententiæ, in qua constituimus, Deum esse auctorem, & causam conuersionis in peccato, non tamen illius deformitatis, obijcies primò, Conuersio ad obiectum virtuti contrarium, est ratio formalis peccati. Sed iuxta superius dicta, Deus est causa talis conuersionis ergo est causa rationis formalis peccati. Ergo causat ipsum peccatum. Qui enim causat rationem formalem alicuius, is verè dicitur causare illud.

Responsio. Distinguo minorem: Deus causat conuersionem ad obiectum virtuti contrarium, quatenus illa est quadam entitas, & species naturalis, fateor; quatenus autem eadem est malum morale, dicens habitudinem ad causam deficientem, vt iam exposuimus, nego.

Instatur satis validè. Sed contra, sumo illam rationem moralitatis, per quam peccatum est malum morale, siue ipsam malitiam moralem, atque ita pergo. Hæc est aliquid reale: (est enim id, per quod peccatum intrinsecè constituitur in specie reali, & mali moralis) ergo vel hæc realitas est a Deo, vel non. Si est, ergo Deus verè est causa mali moralis. Si non, ergo datur aliqua realitas, & entitas, quæ non est a Deo.

Depellitur. Ad hoc multa & varia auctores: Mihi placuit illa responsio, quam etiam præfert Aluarez in primam secund. S. Thomæ Dispur. 168 quod in ipsa malitia morali considerantur duo. Primum, quod sit quædam forma realis, & entitas naturalis; atque hac ratione a Deo est, perinde atque ipsummet malum morale vt ens, a Deo est; quia vt sic non est auersiuum a Deo.

Alte-

Alterum est id, quod habet vt est a voluntate deficiente, & sub ista ratione non est a Deo, sed solum a voluntate creata, quę potis est deficere.

Atque huius rei hanc esse rationem existimaui. Quia malitia moralis formaliter dicit habitudinem. Habitudo autem necessariò est alicuius ad aliquid: iccircò malitia moralis nunquam potest dari, quin includat aliquod ens: ac proinde ratione illius entitatis, semper est a Deo. Quocirca cum antagonistæ recalcant, & sibi videntur vehementer sententiam nostram vrgere dum dicunt. Malitia moralis formaliter est aliquid positiuum, & ens; ergo malitia moralis formaliter est à Deo. Distinguendum erit consequens iterum atque iterum, eo quo dixi modo: vt est ens, fateor: vt malitia, nego. Donante doctrina.

Obijcies secundò, si conuersio ad obiectum virtuti diforme ac contrarium est à Deo, ergo est ab eo volita; quandoquidem omne id quod fit à Deo, id ab eodem volitum est. Sed quod est à Deo volitum, id omne est conforme & consentaneum diuinæ eius voluntati, quę est prima regula omnis bonitatis ac rectitudinis. Quod autem est conforme atq; cohærens diuinæ voluntati; id porrò nulli virtuti est contrarium: alias voluntas Dei esset alicuius rei quę virtuti esset opposita, atq; adeo Dei voluntas esset mali culpæ. ergo si conuersio ad obiectum virtuti contrarium foret à Deo, illa simul esset contraria, & non esset contraria virtuti: & simul esset bona, & non esset bona; quæ est implicantia: quare &c. Secunda obiectio.

Respondeo, actum peccati, & ipsam conuersionem ad obiectum &c. spectatam in esse naturæ, & vt actui virtutis sola contrarietate naturali aduersatur, verè esse à Deo volitam, & cõformem diuinę voluntati, primæq; regulæ, & secundum hanc rationem non est ma- Responsio.

la.

la. Non est autem volita, vt morali labe insperſa est, quæ à solo libero arbitrio proficiſcitur. Vnde etiam conſpicis, quomodo Dei voluntas non est mali culpæ; quia malum culpæ, præter contrarietatem naturalem dicit etiam contrarietatem moralem ad virtutem, quæ à Deo non est volita, ſed tantum permiſſa.

In Deo sũt duo decreta respectu peccati.

Quocirca in Deo, quod ad hanc rem attinet, constituenda ſunt duo diuinæ voluntatis decreta, ratione ratiocinata diſtincta. Alterum, quo vult concurrere ad entitatem actus peccati, & eandem entitatem ſtatuto tempore vnà cum voluntate creata operari. Alterum, quo vult permittere deformitatem, & malitiam moralem, ſiue actum ipſum peccati, quatenus à Deo, & à morali virtutis rectitudine auertit. Atq; de abſtruſa iſta ac perdifficili re iſthæc dixiſſe ſatis. Nunc diſſoluenda veniant argumenta initio Diſput. allata. ſit ergo.

CAPVT SEXTVM.

Diluuntur aduerſariorum argumenta, in capite primo præſentis Diſputationis adducta: & explicatur modus, quo voluntas noſtra præmoueatur à Deo.

QVæ in primo capite præſentis Diſputationis allata ſunt argumenta (vt confirmaretur, Deum non concurrere immediatè ad actũ peccati, atq; adeò nec ad quenquã alium actum cauſarũ ſecundarum, ſed ſolum mediatè, nullo negotio depelluntur. Primum procedit ex ignorantia veræ Philoſophiæ, quia cauſæ per ſe, & eſſentialiter ſubordinatæ, ita ad operandum concurrunt, atq; adeò ita cauſant, vt totus effectus ſimul prodeat à cauſa ſubordinata, & totus ab ea, cui ſubordinatur; ab vtraque tamen in ſuo ordine, quia hæc ſine illa non operatur; quemadmodum tota motio lapidis

Diluitur primũ arg. à principio poſitum.

dis est a manu, & tota itidem a baculo. Quare delirium etiam est, existimare, aut concursum immediatum causæ primæ, aut concursum causæ secundæ esse vllo pacto superuacaneum.

Porrò vt penitius intelligas, quomodo voluntas nostra ab eadem causa prima Deo, moueatur, & vnà cum eodem Deo faciat actiones suas liberas, sic habeto. Quod Deus verè excitat, & præmouet voluntatem nostram ad agendum concursu suo, qui in ea recipitur, ac vnaque cum ea cooperatur, & totum eius effectum) vt causa prima producit; Neque horum quicquam eius libertati officit. Hæc omnia singillatim, sed breuiter patefacienda sunt.

Quibus modis Voluntas mouetur a Deo ad bona opera.

Et quod eam excitet, ac præmoueat, colligitur vel ex illo Prouerb. 8. *præparatur voluntas a Domino*. Et propterea Deum admonentem nos libertatis nostræ deprecamur, vt nos sua ope præueniat, conuertatque ad se; quemadmodum decernit sacrosancta Triden. Synod. Sess. 6. cap. 5. his omninò verbis. *Cum in sacris litteris dicitur; Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum Respondemus; Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur.*

Deus præmouet Voluntatem ad operandum.

Adde hanc naturalem probationem. Omne id quod prius non operabatur, & postea operatur, exit de potentia in actum, ac proinde fit ex non operante operans; In hoc ordine est etiam voluntas creata. Atqui contradictionem inuoluit, vt aliquid faciat seipsum ex non operante operans, nisi prius ab alio moueatur. Quod ita ostendo, quia si ex non operante fit operans, terminus ad quem illius mutationis est, quod sit operans, & terminus a quo, est non operans. Sed mutatio antecedit terminum ad quem: cum acquiratur per illam, ergo antequam sit operans, fuit mutatum; &

Pulchra demõstratio.

non

non à se, quia non erat operans. ergo ab alio. Atq; hinc profluxit tritum illud in Scholis effatum, *Omne quod est in potentia, reduci ad actum ab eo, quod est actu.*

Quod autem Deus voluntati nostræ cooperetur, vnaq; cum ea effectum producat, ex superius habitis manifestum est.

Præmotio Dei nihil officit libertati nostræ.

Postremò, nihil istorum officere libertati nostræ, vel hac ratione discimus, quia voluntas & actio Dei determinat & facit res non modo secundum earum substantias, verum etiam determinat & facit eas secundū modum, quo illæ aptæ natæ sunt operari, aut fieri. Hinc si causæ sint necessariæ, præmouet illas, vnaq; cum ijs cōcurrit, vt effectus sequatur necessariò; si sint contingentes, præmouet illas, & cum ijs concurrit, vt effectus sequantur contingenter; si deniq; causæ fuerint liberæ, vt est voluntas nostra, præmouet & concurrit, vt effectus sequatur liberè, quia sic seruatur ordo in rebus, & complementum vniuersi. Totum autem hoc oritur ex infinita perfectione voluntatis, & actionis diuinę; nam vt planè diuinè considerat S. Thomas in prima parte quæst. 19. art. 8. *cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi. Ex debilitate enim virtutis actiuæ in semine cōtingit, quod filius nascitur dissimilis patri, in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi.* Quia igitur Deus eo modo præmouet determinatq; voluntatem creatam ad agēdum, quo ea suapte natura apta sit moueri ac determinari, scilicet nō necessariò, sed liberè, ideò ea verè & dicitur, & remanet libera. Et nisi à præpotente ac benedicto Deo pręmoueretur, determinaretur, atq; dirigeretur, ea planè nihil posset agere. Verùm hac de re haud hic plura: Redeo ad confutationem argumentorum, quare.

Ad confirmationem respondeo, actionem qua prima

causa ad effectum secundæ concurrit, esse diuersam ab actione causæ secundæ. Ita actio & influxus Solis est diuersa ab actione seminis in generatione hominis: per illum tamen producitur idem totus ille effectus, qui etiam totus producitur à causa secunda, quia hæc, vtpote illi per se & essentialiter subordinata, operatur in virtute illius, atq; vt ab eo mota. Quare quemadmodum scriptio, aut sectio ligni tota est à calamo, & securi, & tota itidem à manu, & ab vtraq; in suo ordine, sic in proposito. — *Totus effectus producitur à causa prima, & totus itidē à causa secunda.*

CAPVT SEPTIMVM.

Confutatio argumentorum in secundo capite adductorum.

NON minori negotio dilues argumenta illius opinionis, quæ Deum ad actum peccati, qua actus & ens est, solum permissiuè concurrere arbitrabatur. Quę adduximus in capite secundo huius Disputationis. — *Dissoluitur primum atque supra allatum.*

Ad primum neganda est consecutio: ad cuius probationem dic ex ijs, quę elucidauimus, huc usq; deformitatem peccati haud sequi internè & essentialiter actum peccati, qua actus & ens est; verùm sequi ea duntaxat ratione, qua ab libero hominis arbitrio defectuosè operante progreditur: Quo etiam pacto est in hac vel illa specie mali moralis, & peccati: ob id quamuis à Deo causetur quicquid est actus, & entitatis in peccato, non propterea causatur eius malitia siue peccatum.

Eodem fermè modo dicitur ad 2. quippe quandocunque duo ita sunt coniuncta atque consociata, vt vnum

Dissoluitur secundum. essentialiter consequatur alterum, sicut priuatio frigiditatis in aqua consequitur ad calefactionem in eadem aqua, vel sicut risibile consequitur ad rationale; profectò quicunque causat vnum, causat & alterum. Modo actus peccati, qua entitas quædam est, & deformitas nō ita se habent, vt exposuimus. Vide aliam huius argumenti solutionem apud S. Thomam in prima secund. quæst. 79. act. 2. ad 3.

Dissoluitur tertium. Tertium arg. magni fit ab aduersæ opinionis auctoribus; sed immeritò. Homo in eliciendo actum peccati V. G. homicidium, peccat, quia indebitè operatur: deficit à regula diuina, & recto rationis tramite, quibus omninò tenetur subdi. Hem, voluntas dum scelus aliquod machinatur, superbia, & quasi alter lucifer solium suum super Aquilonem vult ponere; Hinc se a diuina subordinatione volūtariè, elatè, malitioseq; subtrahit, seque constituit primum an agens, an deficiens in genere peccandi. Quippe in hoc genere voluntas creata non est secundum agens, sed primum. Deus autem operatur eūdem peccati actum, sed rectissima ratione: quia videlicet absolutè est primum ac per essentiam ens, à quo quidem omnis omninò participata entitas deriuetur necesse est. Porrò neque hoc subticere debeo, quod hoc ipsissimum arg. iam olim dissoluerat D. Thomas in prima secund. quæst. 79. art. 2. cuius solutio hæc omninò est. *Ad 2. dicendum, quod in hominem sicut in causam reducitur non solum actus, sed etiam ipse defectus: quia scilicet non subditur ei, cui debet subdi, licet hoc ipse non intendat principaliter, & ideò homo est causa peccati: sed Deus sic est causa actus, quod nullo modo est causa defectus concomitantis actum, & ideò non est causa peccati.*

Dissoluitur quartum. Ad 4. occurritur, quod si deformitas peccati est positiuum quippiam, & in quadam habitudine ad voluntatem

tatem

tatem creatam deficienter operantem, collocata, profe-ctò ab omni ente abstracta, & expoliata consistere nequit: quia auctore S. August. in Enchirid. cap. 3. & 4. *Mala omnino sine bonis, & nisi in bono esse non possunt*. Et S. Thomas in prima part. quæst. 49. art. 3. *si, inquit, malum integrum sit, seipsum destruet*. Quare deformitas peccati, qua ens est, adhuc est à Deo: non autem qua deformitas; de qua re iam dixi supra cap 5. in solutione ad primam obiectionem.

Ad 5. Malum opus siue peccatum formaliter significat solam malitiam, connotat autem actum, quia peccatum est quoddam concretum: concreta autem propriè ac formaliter accepta, solam formam dicunt. Vnde Stagirites in Prædicamentis in cap. de substan. *album, inquit, nihil aliud significat nisi qualitatem*. Deus autem respectu malitiæ peccati solum permissiue se habet: propterea dicitur tantum permittere mala opera, & sinere hominem in manu consilij sui, vt pro innata tua libertate vias suas malas faciat. Verùm respectu bonorum operum Deus longè aliter se habet. Hæc quippe ex omni æternitate ipse secum non modo quan tum ad actum, sed omni ex parte verè decernit, singillatim determinat, disponit, & præparat, quia vt Apostolus ad Ephes. 2. loquitur, *Ipsi sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Insuper in tempore nos ad illa ipsa præstãda misericorditer excitat, mouet, adiuuat, nosq; facit vt faciamus, & ea in nobis atq; nobiscum operatur, atq; adeo eodem Apostolo adstipulatore, ad Philipp. 2. *operatur in nobis velle, & perficere*.

Dissoluitur 5. & 6. arg.

Quomodo Deus se habet respectu bonorũ operũ: quo modo respectu malorũ.

Hinc meridiana luce clarius apparet, quàm magnũ discrimen inter Dei operationem, ad bona opera, & eius permissionem respectu malorum intercedat, quam que summa cum ratione & DD. Theologi vnam ab altera

ha

altera secernunt, & quàm sanctissimè loquitur Sacrum Trid. Concilium, dum isthæc distinguit, & Deum statuit operari mala opera *permissiuè, bona autem opera propriè & per se*. At at de hac materia amplius verbum non addam.

APPENDIX

Quomodo diabolus, & quomodo vnus homo alteri, possit esse causa peccandi.

Error quorundam hæreticorum.

QVod ad dæmonem attinet, Manichæus, Valentinus, & quidam alij huius gregis hæretici, vt refert Alfonsus de Castro lib. 12. aduersus hæreses, verbo peccatum, hæresi 3. opinati sunt, omnia peccata esse simpliciter ex suggestione diaboli, & non ex libero arbitrio: adeò vt si dæmones non extitissent, nullum futurum fuisset peccatum. Petrus verò Abbailardus, aduersus quem scripsit D. Bernardus epist. 189. 190. & 191. & refert etiam Castro lib. 14. citati operis verbo tentatio, stetit in alio extremo, (videlicet dum stulti vitant vitia, in contraria currunt) asseuerans dæmonem non tentare, nec quemquam ad peccandum per se inducere; sed id facere solum contactu quodam herbarum ac lapidum, quorum ille virtutes varias ad excitanda in homine varia vitia callidè nouit; adeò vt hac vel illa herba, siue hoc vel illo lapide vtatur, si ad hoc, illudve vitium quemquam impellere cogitat. Verum vtrunq; hoc dictum à veritate Catholica procul abest, quæ quidem vt aperiatur.

Error aliorum hæreticorum.

Dæmon nequit necessitare hominem ad peccandum.

Inprimis pro comperto habendum est, dæmonem, etsi robustissimus, omniumq; callidissimus sit, nihilominus nunquam posse homini inducere necessitatem

ad

ad peccandum. Dicit namq; Apostolus primæ Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari vltra id quod potestis*. Quod verum non esset, si diabolus tentando posset necessitare nos. Deinde, primæ Petri vlt. dicitur, *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide*. At quorsum hæc admonitio, si homo ei ex necessitate succumberet?

Et ratio quoque in promptu est, quia principium peccandi est voluntas: quam nullum vnquam bonum particulare potest necessitare, cum nullum huiusmodi bonum impleat, nedum superet illius capacitatem. Dęmon autem mouet voluntatem hominis solum proponendo aliquod bonum particulare, vt mox declarabo. Quare nunquam potest eam necessitare.

Nullũ particulare bonum necessitat voluntatem.

Dæmon ergo est homini peccandi causa, primo quidem interius ei suggerendo, instigandoque ad peccandum. Quod ita contingere potest.

Dęmon mouet hominẽ interius instigando.

In homine, vt in libris de Anima declaramus, triplex est interiorum potentiarum genus. Intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum. Hoc postremum ad pręsens nihil attinet, sed duo tantum priora veniunt considerandа. Et quidem intellectiuum continet intellectum, & voluntatem: sensitiuum autem completur sensu communi, phantasia, imaginatione, cogitatiua, & memoria.

Porrò quod ad voluntatem spectat, ea gemino modo moueri potest, nempe ex parte ipsiusmet voluntatis, & ex parte obiecti. Primo modo voluntas, à solo Deo benedicto, qui illi intime illabitur potest moueri, & inclinari, à quo mota etiam ipsa se mouet liberè: Dęmon autem hoc pacto eam mouere nullo pacto valet, quia cum illi intimè illabi nequeat, remanet agens extrinsecum: omnis autem motio agentis extrinseci repugnat

Voluntas ex parte sui a solo Deo potest moueri.

pugnat voluntati ex parte illius, quia illa esset motio violenta; Relinquitur ergo vt dæmon solum possit mouere voluntatem ex parte obiecti, vt mox explicabo.

Consimili ratione philosophandum erit de intellectu, qui mouetur per se à veritate obiecti: Veritas autem quasi lux quædam est: iccircò dicitur, *intellectum per se moueri ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis*. Diabolus nititur obtenebrare huiuscemodi illuminationem, & turbare interius. Quod quidem facit mediantibus potentijs inferioribus, quæ corporeę sunt; vt immutando hominis imaginationem, suggerendo illi varias ac multiplices formas imaginarias, commouendo humores, turbando spiritus, excitando passiones, idq; genus alia in homine faciendo.

Quomodo Dęmon turbat imaginationem: quomodo intellectũ.

Quæ omnia ex eo potest efficere, quia, vt ostendit S. Thomas in prima part. quæst. 112. art. 3. *Natura corporalis naturaliter obedit natura spirituali ad motum localem*. Illa autem omnia per motum localem possunt præstari. Quis enim est, qui in semetipso planissimè non experitur, aliquando ex sola humorum spirituumque commotione ac turbatione varias apparitiones & phantasmata in se causari? Hinc Aristoteles lib. de Insomn. cap. 3. reddens causam apparitionis somniorum; ait, quod *cum dormit animal, descendente plurimo sanguine ad principium, descendunt simul, & qui insunt motus, hi quidem potestate, illi verò actu.* nempe cum animal somno capitur, calor contrahitur ad interiores partes, atq; adeò ad principium sensuum; quò vnà cum calore deferuntur & humores & spiritus, cum quibus deportantur quoq; *motus*, id est impressiones, quæ alias, & maximè per diem à rebus sensibilibus factæ, residebant in ijsdem met spiritibus. Vnde impressiones illæ atque imagines rerum ad imaginationẽ delatæ, faciunt apparitiones, & insomnia. Quid? non-

Quomodo fiunt insomnia.

nun-

nunquam tanta fit humorum, & spirituum commotio, vt huiusmodi apparitiones etiam vigilantibus accidant, quemadmodum in phreneticis atque ob grauem aliquem morbum delirantibus animaduertimus. Sic ergo dæmon stimulat hominem ad peccandum, in eiusque imaginatione multiformes rerum imagines ac malarum cogitationum suggestiones veluti omnium malorum faber effingit: quæ deinde ad intellectũ delatæ, ipsum quoq; mediate turbant. Insuper quia voluntas sequitur intellectum, illi etiam infertur aliquatur batio.

Ex hac radice oritur id quod communiter & SS. Patres, & Doctores Theologi dicunt, quod dæmon est homini causa moralis peccandi, & ex parte tantum modo obiecti, proponendo nimirum illi appetibile, ac persuadendo. Verum enimuero homo trifariam potest excitari ac moueri ab obiecto. Primò, per solam obiecti propositionem, vt cibus expositus excitat hominis appetitũ ad comedendum, & spectatum aliquod egregium ac præclarum facinus inflammat quemuis generosum animum ad consimilia perpetranda. Secundò, excitatur per eum, qui huiusmodi obiectum, aptum illius intellectum ac voluntatem mouere, eidem proponit. Sic mater excitat, allicitque ad se infantulum ostentans ei aliquod ludicrum. Tertiò, excitatur per eum, qui vlterius persuasionibus hortatur, variaque ratione efficit, vt propositum obiectum appareat bonum, & amplectendum. Ita Rex, ab ijs qui à consilijs sunt, propellitur. Primo modo res externæ sensibiles mouent voluntatem, siue ipsum hominem. Secundò autem, & tertio mouet dæmon, & vnus homo alterum. Quod tamen adhuc potest mille technis ac fraudibus veterarius nequam efficere, & nos circumuenire, qua de re omninò videndus est D. Basilius serm. quod Deus non est auctor malorum, & serm. quod rebus sæcularibus

Dæmon ergo est causa moralis homini ad peccãdum.

Quomodo vnus homo est causa peccandi alteri.

bus adhærendum non est. Quomodo itaque diabolus, & quomodo homo sint homini causa peccandi, ex his liquet; vnde etiam patet vtriusq; erroris in principio capitis relati, absurditas, & confutatio.

Inter causas peccati referri, & explicari solent, etiam Ignorantia, Passio, & Malitia, de quibus abundè supra Tract. 2. dum de varijs peccati distinctionibus ageremus. Quare de causis peccati hæc in præsens dixisse satis: superest vt de effectibus peccati pauca quædam vltimò loco edisseramus.

TRACTATVS QVINTVS.

De effectibus Peccati.

DISPVTATIO PRIMA.

De effectu peccati, qui est macula.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit macula peccati.

NON est quod in præsentia de effectibus peccati originalis edesseramus, cum neque de ipso peccato originali quicquam hucusque dixerimus, & eius tractationem alius mihi, summo affiante numine, expectat locus: de cuius effectibus agit D. Thomas cū alibi, tum præcipuè in prima secundæ quæst. 85. Nobis hucusque de actuali peccato sermo habitus est: quocirca de eius quoque effectibus dicendum. Proponitur, de quo sit dicendum.

Porrò peccatum actuale, quemadmodum supra a nobis patefactum est, duo includit; actum videlicet, & malitiam. Ratione primi, gignitur in homine peccante quidam habitus atque excitamentum ad peccādum. Enimuerò per actus humanos, præsertim iteratos fit in operante siue habitus, siue inclinatio, & exci-

tamentum ad consimiles actus. Ratione verò secundi, nempe malitiæ, consurgunt in anima tres peccati effectus: quorum primus est culpa habitualis, quę complectitur maculam, offensam, & iniuriam. Secundus est reatus pęnę. Tertius est pœna ipsa: de quibus ex ordine nobis agendum est. Quod itaque ad maculam spectat.

Tres effectus peccati, & quinam sunt.

Macula propriè inuenitur in rebus corporeis, cum purum ac nitidum aliquod corpus, ex contactu impuri ac sordidi corporis commaculatur, vt candida vestis, argentum, aurum, atque alia id genus, maculantur: per quam quidem similitudinem macula traducitur ad animam. Anima namque suapte conditione est nitidissima: immo duplici prædita nitore; vno, qui oritur ex refulgentia luminis naturalis rationis, quo illa naturaliter dirigitur in suis actionibus: Altero vero, qui in eadem oritur ex refulgentia luminis super naturalis. vt fidei, charitatis, gratiæ, &c. quo absolutè, homo dirigitur ad benè decenterq; agendum.

Vnde dicitur macula: Et quomodo anima macula tur.

Cum ergo anima peccat, vterq; hic nitor commaculatur, quoniam ea peccando conuertitur & contra lumen rations, & contra lumen diuinum ad bona commutabilia, & illis per inordinatum affectum coniungitur. Hoc itaque pacto ex peccato causatur in anima hæc macula. A qua quidem transacto actu peccati, aliquis verè, ac propriè denominatur maculatus, immundus, sordidus, inquinatus, abominabilis, & peccator, vt sexcentis in locis sacrarum litterarum videre licet. Hierem. 2. *Maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Eccles. 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula.* Iosue 22. *Vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Apocal. 22. *Qui sordidus est, sordescat adhuc.* Ita de liquis.

Hinc præterea est, vt quibus peccata remittuntur, ijdi-

ij dicantur esse abluti, & mundati, vt Corint. 6. *abluti estis, sanctificati estis.* Et 2. Corint. 7. *mundemus nos ab omni inquinamento*. Qua de re videndum est Concil. Triden. sess. 5. can. 5. & sess. 14. can. 7. & 9. Quæ quidem macula dicitur etiam culpa habitualis, & peccatum habituale: quamuis inter hæc, & maculam intercedat aliqua differentia, quam optimè explicat Didacus Aluarez in primam secund. S. Thomæ. Disput. 180. Ex his itaque liquet, vndenam macula dicta sit, quomodo in anima causetur, & quomodo transacto actu peccati remaneat in anima per modum cuiusdam habitus, a qua talis, vel talis denominatur. Cur ij, quibus peccata remittuntur, dicuntur abluti, & mundati.

Quid autem sit dicta macula relicta ex peccato in anima peccatrice, haud conuenit inter scholasticos. Quid sit macula peccati.

Quidam opinantur eam nihil esse aliud, quàm reatum, siue obligationem ad pœnam æternam, ex peccato in homine relictam, quæ pœna re vera illi infligeretur, si in peccato mortali decederet. Ita Scotus in quarto sent. dist. 14. quæst. 1. Alij verò, inter quos est Domin. Soto in quarto dist. 15. quæst. 1. asserunt, maculam formaliter consistere in priuatione gratiæ, & sanctitatis, & in nullo alio. Sunt qui contendunt, maculam esse quandam denominationem realem, extrinsecam, à qua aliquis dicitur iniustus apud Deum, & inimicus illius. Quod si quæras, à qua nam forma extrinseca oritur huiusmodi denominatio? aiunt, prouenire ex actu peccati, quatenus est præteritus, nō retractatus, nec remissus. Ita P. Vasquez, ad art. 2. quæst. 86. primæ secund. S. Thomæ, Alij aliter opinantur. Pro cuius dissensionis determinatione. Tres de ea sententiæ.

Dico primò, quod nulla ex his tribus sententijs explicat veram ac sufficientem rationem formalem maculæ ex peccato in anima relictæ. Prima conclusio.

Non prima, quia reatus ac obligatio ad pœnam æter-

Macula peccati nō est reatus ad pœnam æternam.

nam, supponit in anima culpam habitualem, siuè maculam peccati, propter quam anima fit rea, & deputatur ad pœnam æternam, vt de se constat, ergo macula formaliter non est ipsemet reatus ac deputatio ad pœnam æternam.

Confirmatur ex Concilio Trid. sess. sexta can. 30. hæc omninò decernente, *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti, ita culpam remitti & reatum æternæ pænæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pænæ temporalis exoluenda vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit*. In quo quidem Canone oculatissimè Concilium distinguit culpam, siuè peccatum habituale, siuè maculam, à reatu pœnæ æternæ ergo culpa, siuè macula formaliter non est reatus & obligatio ad penam æternam.

Macula non est sola priuatio gratiæ, & sanctitatis.

Secunda sententia quatenus ait, maculam ex peccato in anima peccatrice relictam, formaliter esse priuationem gratiæ & sanctificationis, rectè, & nobiscum stat, vt mox aperiam: Quod autem addit, eam præterea in nullo alio esse, falsa est. Tum quia, si homo fuisset creatus in statu puræ naturæ, & perpetrasset homicidium, vel adulterium, verè esset peccator, & maculatus; & nihilominus non habuisset priuationem gratiæ, & sanctificationis, ergo macula non modo causatur ex priuatione gratiæ, sed insuper ex aliquo alio: videlicet ex defectu nitoris ad lumē etiam naturale. Tum etiam, quia gentilis, qui degit in peccato originali, iam est priuatus gratia, & nihilominus dum committit aliquod actuale peccatum, contrahit nouam maculam, non autem nouam gratiæ priuationem ergo macula non semper oritur à priuatione gratiæ. Quid? hoc ipsum de homine Christiano dicendum est, qui per peccatum V. g. furti priuatus est diuina gratia, & contraxit maculam:

si postea committat homicidium, proculdubio contrahit nouam maculam, at non contrahit nouam gratiæ priuationem: quare &c.

Tertia etiam sententia, quod macula sit denominatio extrinseca proueniens ab actuali peccato præterito, & non condonato, eo modo quo ego denominor dexter à forma extrinsecus existente in columna, sustinenda non est. Quia macula ex peccato relicta est illa, à qua per pœnitentiam, & iustificationem abluimur & emundamur: sed longè absonum est asserere, nos per pœnitentiam & iustificationem ablui & emundari solum à denominatione proueniente à forma extrinseca, videlicet ab actu præterito &c. quia talis denominatio est tantum ens rationis, siue relatio rationis. Quod ita ostendo. Quādocunq; denominatio prouenit à forma extrinseca, quæ actu in rerum natura non existit, sed tantum extitit, illa est tantum ens rationis, siue relatio rationis. Sed dicta denominatio, iuxta sententiam quam improbamus, est ab actu præterito tanquam à forma extrinseca, qui reuera nunc actu in rerum natura non existit, sed tantum extitit, ergo dicta denominatio erit solum ens rationis, siue relatio rationis. Hoc autem nullo modo proferendum est, quia tunc homo non esset verè, formaliter, & à parte rei peccator & maculatus, sed solum per operationem intellectus, entia enim rationis non sunt, nisi cogitante intellectu. Maior huius argumenti, quod denominatio proueniens à forma extrinseca actu in rerum natura non existente, sit merum putum ens rationis ac relatio rationis, patet euidenter: nam parietem nunc denominari visum à visione hesterna, profectò est solum ens rationis, & relatio rationis. His ita explosis.

Macula non est denominatio extrinseca.

Dico secundò, Macula ex peccato anteacto relicta, siue peccatum habituale, à quo homo verè dicitur maculatus, & peccator, & à quo per baptismum, aut per iustifica-

Secunda conclusio.

stificationem abluitur, essentialiter adæquatè consistit in priuatione duplicis nitoris: quorum vnus quidem prouenit ex refulgentia, siue rectitudine luminis naturalis: alter verò ex refulgentia luminis diuini siue supernaturalis.

Macula est priuatio nitoris luminis diuini, & naturalis.

Ita expressè S. Thomas cum sæpe alibi, tum præcipuè in prima secund. quæst. 86. art. 1. & 2. eamq; tuentur Caietan. Conrad. Medin. Aluarez ad eum locum: ante eos Capreolus in quarto dist. 14. quæst. 1. conclus. 4. eandem amplectitur Bellarminius lib. 5. de amissione gratiæ cap. 19. & alij Doctores quamplurimi. Cuius assertionis euidentia in promptu est. Et quod macula sit priuatio nitoris luminis supernaturalis, patet, quia per peccatum mortale expellitur ab anima gratia, & supernaturale lumen, qui est præcipuus animæ nitor, decor, ornatus, pulchritudo: Et misera anima remanet cum aptitudine ad illa, quia facta est ad suum conditorem.

Quod autem sit etiam priuatio nitoris luminis naturalis secundum rectam rationem, patet, quia omne peccatum mortale, vt dudum ostendimus, est contra lumen naturæ.

Ex vno peccato consurgũt duæ maculæ.

Hinc collige, quod si anima in peccando priuatur duplici nitore, ergo priuatio, siue macula inde adæquatè orta, habebit duos respectus: immò inadæquatè erit duplex priuatio, siue duplex macula. Vna, quæ oritur ex defectu nitoris luminis naturalis: altera, quæ consurgit ex deperditione nitoris supernaturalis.

Tria discrimina inter has duas maculas.

Inter quas quidem duas priuationes inadæquatas, siue maculas, est triplex discrimen. Primum, quia macula ex defectu nitoris luminis naturalis profecta, habet locum etiam in statu naturæ: Macula autem quæ ex amissione gratiæ ac donorum supernaturalium dimanat, nequaquam. Secundum, quia prior consequitur ex quouis peccato, siue mortali, siue veniali; nam etiam

veniale

veniale peccatum deflectit à recto rationis tramite, quamuis non ita vt mortale, de qua re supra Tract. 2. Disput. 1. cap. 4. posterior autem oritur ex solo peccato mortali, quia hoc solum expellit gratiam. Tertium, quia prior est propria in vnoquoq; peccato, & quemadmodum singula peccata actualia sunt inter se distincta, ita singulæ priuationes, siue maculæ ex illis relictæ, inter se distinguuntur. At priuatio gratiæ haud est propria alicui peccato actuali, sed æqualiter à quolibet mortali potest causari. Quare in homine peccatore possunt esse plures maculæ prioris generis, non autem posterioris. Enimverò qui per actum v. g. homicidij contraxit maculam homicidij, potest etiam per actum furti contrahere maculam furti, & ita deinceps. At qui per vnum aliquod lethale scelus priuatus est semel gratia, per alia subsequentia peccata non priuatur amplius atq; iterum, neq; contrahit aliam huius conditionis maculam.

Ad extremum, lubet exemplum S. Thomæ hac de re audire, ex prima secund. quæst. 86. artic. 1. ad 3. qui dum tertio loco esset argumentatus: Aut macula est aliquid positiuè, aut priuatio pura. Non primum, quia necessario vel esset dispositio, vel habitus, quorum tamen nihil est. Neq; secundum, quia tunc omnium peccatorum esset vna macula: & omnia peccata essent æqualia: cum vna priuatio non sit magis priuatio quàm altera: Respondet. *Ad 3. dicendum quod macula non est aliquid positiuè in anima; nec significat priuationem solam, sed significat priuationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum. & ideo diuersa peccata diuersas maculas inducunt: & est simile de vmbra, quæ est priuatio luminis ex obiectu alicuius corporis, & secundum diuersitatem corporum obiectorum diuersificantur vmbræ.* Sed iam ad alios culpæ habitualis effectus pergo; quare sit.

Doctrina & exemplũ S. Thomæ de macula.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Quid sint offensa, & iniuria vt sunt effectus peccati. Et quomodo inter se, & à macula differunt.

Quid iniuria & quomodo Deò infertur.

INiuria, vel vt Stagirites loquitur libro primo Rhetoric. cap. 35. *iniuriam facere est, sponte contra leges alicui nocere*. Vt ergo quippiam dicatur iniuria quemquam afficere, tria necessario requiruntur. Nempè vt noceat: vt sponte: & vt id faciat contra leges, qualescunq; illæ sint. Homo per peccatum quamuis Deum re ipsa non noceat, attamen nocet affectu; quia illi animo & affectu intentat malum, quemadmodum plenè exposui Tract. 1. Disput. 4. cap. 3.

Intentat autem huiusmodi malum ac nocet sponte ac voluntariè: ideò facit etiam contra legem tam diuinam, quàm naturalem, per quas tenetur plus Deum quàm creaturam diligere, ad quam conuertitur per peccatum. Quarè Iniuria, quæ Deo fit in peccando, quasi attenditur in peccato, veluti eius effectus ex parte conuersionis ad creaturam.

Quid offensa, & quomodo Deo inferatur.

Offensa autem, quatenus est effectus peccati, immediatè requirit auersionem à Deo vt ab amico beneficentissimo, rerumq; omnium parente clementissimo: à quo quidem homo peccando per voluntariam auersionem, quasi per turpem ac fœdam defectionem discedit, quinimò eum ab amicitia sua pene reijcit repellitq; Hinc optimè S. Thomas in tertia part. quæst. 86. art. 2. *offensa*, inquit, *directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quod repellit eum à gratia sua*.

Quomodo desferunt, macula, iniuria, & offensa.

Vnde apparet etiam discrimen inter tres illos habitualis culpæ effectus. Enimuerò macula ex peccato relicta, sincerè ac directè respiciet subiectum, nempe hominem

minem: offensa autem & iniuria diriguntur ad Deum. Macula immediatè ac propriè est proprium hominis malum, cui sicuti adhærere Deo, bonum est, sic elongari ab eo, est malum, quia, vt Regius Psaltes Psal. 72. canit, *ecce qui elongant se à te, peribunt*. Vt ergo macula indumenti, aut lintei est eius ipsius malum, & immediatè respicit ipsum veluti subiectum quod inficit, sic de macula ex peccato in anima relicta, philosophare. Offensa autem atq; iniuria: quonam pacto cùm inter se, tum à macula dissident, ex dictis perspicuum est.

pugnat voluntati ex parte illius, quia illa esset motio violenta; Relinquitur ergo vt dæmon solum possit mouere voluntatem ex parte obiecti, vt mox explicabo.

Consimili ratione philosophandum erit de intellectu, qui mouetur per seà veritate obiecti: Veritas autem quasi lux quædam est: iccircò dicitur, *intellectum per se moueri ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis*. Diabolus nititur obtenebrare huiuscemodi illuminationem, & turbare interius. Quod quidem facit mediantibus potentijs inferioribus, quæ corporeę sunt, vt immutando hominis imaginationem, suggerendo illi varias ac multiplices formas imaginarias, commouendo humores, turbando spiritus, excitando passiones, idq; genus alia in homine faciendo.

Quomodo Dęmon turbat imaginationem: quomodo intellectũ.

Quæ omnia ex eo potest efficere, quia, vt ostendit S. Thomas in prima part. quæst. 112. art. 3. *Natura corporalis naturaliter obedit natura spirituali ad motum localem*. Illa autem omnia per motum localem possunt præstari. Quis enim est, qui in semetipso planissimè non experitur, aliquando ex sola humorum spirituumque commotione ac turbatione varias apparitiones & phantasmata in se causari? Hinc Aristoteles lib. de Insomn. cap. 3. reddens causam apparitionis somniorum; ait, quod *cum dormit animal, descendente plurimo sanguine ad principium, descendunt simul, & qui insunt motus, hi quidem potestate, illi verò actu*. nempè cum animal somno capitur, calor contrahitur ad interiores partes, atq; adeò ad principium sensuum; quò vnà cum calore deferuntur & humores & spiritus, cum quibus deportantur quoq; *motus*, id est impressiones, quæ alias, & maximè per diem à rebus sensibilibus factæ, residebant in ijsdem met spiritibus. Vnde impressiones illæ atque imagines rerum ad imaginationẽ delatæ, faciunt apparitiones, & insomnia. Quid? non-

Quomodo fiunt insomnia.

nunquam tanta fit humorum, & spirituum commotio, vt huiusmodi apparitiones etiam vigilantibus accidant, quemadmodum in phreneticis atque ob grauem aliquem morbum delirantibus animaduertimus. Sic ergo dæmon stimulat hominem ad peccandum, in eiusque imaginatione multiformes rerum imagines ac malarum cogitationum suggestiones veluti omnium malorum faber effingit: quæ dein ad intellectũ delatæ, ipsum quoq; mediate turbant. Insuper quia voluntas sequitur intellectum, illi etiam infertur aliqua turbatio.

Ex hac radice oritur id quod communiter & SS. Patres, & Doctores Theologi dicunt, quod dęmon est hominí causa moralis peccandi, & ex parte tantum modo obiecti, proponendo nimirum illi appetibile, ac persuadendo. Verum enimuero homo trifariam potest excitari ac moueri ab obiecto. Primo, per solam obiecti propositionem, vt cibus expositus excitat hominis appetitũ ad comedendum, & spectatum aliquod egregium ac præclarum facinus inflammat quemuis generosum animum ad consimilia perpetranda. Secundò, excitatur per eum, qui huiusmodi obiectum, aptum illius intellectum ac voluntatem mouere, eidem proponit. Sic mater excitat, allicitque ad se infantulum ostentans ei aliquod ludicrum. Tertiò, excitatur per eum, qui vlterius persuasionibus hortatur, variaque ratione efficit, vt propositum obiectum appareat bonum, & amplectendum. Ita Rex, ab ijs qui à consilijs sunt, propellitur. Primo modo res externæ sensibiles mouent voluntatem, siue ipsum hominem. Secundò autem, & tertio mouet dæmon, & vnus homo alterum. Quod tamen adhuc potest mille technis ac fraudibus veterarius nequam efficere, & nos circumuenire, qua de re omninò videndus est D. Basilius serm. quod Deus non est auctor malorum, & serm. quod rebus sæcularibus

Dæmon ergo est causa moralis homini ad pęccãdum.

Quomodo vnus homo est causa peccandi alteri.

bus adhærendum non est. Quomodo itaque diabolus, & quomodo homo sint homini causa peccandi, ex his liquet; vnde etiam patet vtriusq; erroris in principio capitis relati, absurditas, & confutatio.

Inter causas peccati referri, & explicari solent, etiam Ignorantia, Passio, & Malitia, de quibus abundè supra Tract. 2. dum de varijs peccati distinctionibus ageremus. Quare de causis peccati hæc in præsens dixisse satis: superest vt de effectibus peccati pauca quædam vltimò loco edisseramus.

TRACTATVS QVINTVS.

De effectibus Peccati.

DISPVTATIO PRIMA.

De effectu peccati, qui est macula.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit macula peccati.

NON est quod in præsentia de effectibus peccati originalis edisseramus, cum neque de ipso peccato originali quicquam hucusque dixerimus, & eius tractationem alius mihi, summo aspirante numine, expectat locus: de cuius effectibus agit D. Thomas cum alibi, tum præcipuè in prima secundæ quæst. 85. Nobis hucusque de actuali peccato sermo habitus est: quocirca de eius quoque effectibus dicendum. Proponitur, de quo sit dicendum.

Porrò peccatum actuale, quemadmodum supra a nobis patefactum est, duo includit; actum videlicet, & malitiam. Ratione primi, gignitur in homine peccante quidam habitus atque excitamentum ad peccãdum. Enimuerò per actus humanos, præsertim iteratos fit in operante siue habitus, siue inclinatio, & exci-

tamentum ad consimiles actus. Ratione verò secundi, nempe malitiæ, consurgunt in anima tres peccati effectus: quorum primus est culpa habitualis, quę complectitur maculam, offensam, & iniuriam. Secundus est reatus pęnę. Tertius est pœna ipsa: de quibus ex ordine nobis agendum est. Quod itaque ad maculam spectat.

Tres effectus peccati, & quinam sunt.

Vnde dicitur macula: Et quomodo anima maculatur.

Macula propriè inuenitur in rebus corporeis, cum purum ac nitidum aliquod corpus, ex contactu impuri ac sordidi corporis commaculatur, vt candida vestis, argentum, aurum, atque alia id genus, maculantur: per quam quidem similitudinem macula traducitur ad animam. Anima namque suapte conditione est nitidissima: immo duplici prædita nitore; vno, qui oritur ex refulgentia luminis naturalis rationis, quo illa naturaliter dirigitur in suis actionibus: Altero vero, qui in eadem oritur ex refulgentia luminis supernaturalis. vt fidei, charitatis, gratiæ, &c. quo absolutè, homo dirigitur ad benè decenterq; agendum.

Cum ergo anima peccat, vterq; hic nitor commaculatur, quoniam ea peccando conuertitur & contra lumen rations, & contra lumen diuinum ad bona commutabilia, & illis per inordinatum affectum coniungitur. Hoc itaque pacto ex peccato causatur in anima hæc macula. A qua quidem transacto actu peccati, aliquis verè, ac propriè denominatur maculatus, immundus, sordidus, inquinatus, abominabilis, & peccator, vt sexcentis in locis sacrarum litterarum videre licet. Hierem. 2. *Maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Eccles. 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula.* Iosue 22. *Vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Apocal. 22. *Qui sordidus est, sordescat adhuc.* Ita de liquis.

Hinc præterea est, vt quibus peccata remittuntur, iidi-

ij dicantur esse abluti, & mundati, vt Corint. 6. *abluti estis, sanctificati estis.* Et 2. Corint. 7. *mundemus nos ab omni inquinamento.* Qua de re videndum est Concil. Triden. sess. 5. can. 5. & sess. 14. can. 7. & 9. Quæ quidem macula dicitur etiam culpa habitualis, & peccatum habituale: quamuis inter hæc, & maculam intercedat aliqua differentia, quam optimè explicat Didacus Aluarez in primam secund. S. Thomæ. Disput. 180. Ex his itaque liquet, vndenam macula dicta sit, quomodo in anima causetur, & quomodo transacto actu peccati remaneat in anima per modum cuiusdam habitus, a qua talis, vel talis denominatur.

Cur ij, quibus peccata remittuntur, dicuntur abluti, & mundati.

Quid autem sit dicta macula relicta ex peccato in anima peccatrice, haud conuenit inter scholasticos.

Quid sit macula peccati.

Quidam opinantur eam nihil esse aliud, quàm reatum, siue obligationem ad pęnam æternam, ex peccato in homine relictam, quæ pœna re vera illi infligeretur, si in peccato mortali decederet. Ita Scotus in quarto sent. dist. 14. quęst. 1. Alij verò, inter quos est Domin. Soto in quarto dist. 15. quæst. 1. asserunt, maculam formaliter consistere in priuatione gratię, & sanctitatis, & in nullo alio. Sunt qui contendunt, maculam esse quandam denominationem realem, extrinsecam, à qua aliquis dicitur iniustus apud Deum, & inimicus illius. Quod si quæras, à qua nam forma extrinseca oritur huiusmodi denominatio? aiunt, prouenire ex actu peccati, quatenus est præteritus, nō retractatus, nec remissus. Ita P. Vasquez, ad art. 2. quæst. 86. primæ secund. S. Thomæ, Alij aliter opinantur. Pro cuius dissensionis determinatione.

Tres de ea sententia.

Dico primò, quod nulla ex his tribus sententijs explicat veram ac sufficientem rationem formalem maculæ ex peccato in anima relictæ.

Prima conclusio.

Non prima, quia reatus ac obligatio ad pęnam æter-

Macula peccati nō est reatus ad pœnam æternam.

nam, supponit in anima culpam habitualem, siuè maculam peccati, propter quam anima fit rea, & deputatur ad pœnam æternam, vt de se constat, ergo macula formaliter non est ipsemet reatus ac deputatio ad pœnam æternam.

Confirmatur ex Concilio Trid. sess. sexta can. 30. hæc omninò decernente, *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluenda vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit*. In quo quidem Canone oculatissimè Concilium distinguit culpam, siuè peccatum habituale, siuè maculam, à reatu pœnæ æternæ ergo culpa, siuè macula formaliter non est reatus & obligatio ad pœnam æternam.

Macula non est sola priuatio gratiæ, & sanctitatis.

Secunda sententia quatenus ait, maculam ex peccato in anima peccatrice relictam, formaliter esse priuationem gratiæ & sanctificationis, rectè, & nobiscum stat, vt mox aperiam: Quod autem addit, eam præterea in nullo alio esse, falsa est. Tum quia, si homo fuisset creatus in statu puræ naturæ, & perpetrasset homicidium, vel adulterium, verè esset peccator, & maculatus: & nihilominus non habuisset priuationem gratiæ, & sanctificationis, ergo macula non modo causatur ex priuatione gratiæ, sed insuper ex aliquo alio: videlicet ex defectu nitoris ad lumē etiam naturale. Tum etiam, quia gentilis, qui degit in peccato originali, iam est priuatus gratia, & nihilominus dum committit aliquod actuale peccatum, contrahit nouam maculam, non autem nouam gratiæ priuationem ergo macula non semper oritur à priuatione gratiæ. Quid? hoc ipsum de homine Christiano dicendum est, qui per peccatum V. g. furti priuatus est diuina gratia, & contraxit maculam:

si postea committat homicidium, proculdubio contrahit nouam maculam, at non contrahit nouam gratiæ priuationem: quare &c.

Tertia etiam sententia, quod macula sit denominatio extrinseca proueniens ab actuali peccato præterito, & non condonato, eo modo quo ego denominor dexter à forma extrinsecus existente in columna, sustinenda non est. Quia macula ex peccato relicta est illa, à qua per pœnitentiam, & iustificationem abluimur & emundamur: sed longè absonum est asserere, nos per pœnitentiam & iustificationem ablui & emundari solum à denominatione proueniente à forma extrinseca, videlicet ab actu præterito &c. quia talis denominatio est tantum ens rationis, siue relatio rationis. Quod ita ostendo. Quandocunq; denominatio prouenit à forma extrinseca, quæ actu in rerum natura non existit, sed tantum extitit, illa est tantum ens rationis, siue relatio rationis. Sed dicta denominatio, iuxta sententiam quam improbamus, est ab actu præterito tanquam à forma extrinseca, qui reuera nunc actu in rerum natura non existit, sed tantum extitit, ergo dicta denominatio erit solum ens rationis, siue relatio rationis. Hoc autem nullo modo proferendum est, quia tunc homo non esset verè, formaliter, & à parte rei peccator & maculatus, sed solum per operationem intellectus, entia enim rationis non sunt, nisi cogitante intellectu. Maior huius argumenti, quod denominatio proueniens à forma extrinseca actu in rerum natura non existente, sit merum putum ens rationis ac relatio rationis, patet euidenter: nam parietem nunc denominari visum à visione hesterna, profectò est solum ens rationis, & relatio rationis. His ita explosis.

Macula non est denominatio extrinseca.

Dico secundò, Macula ex peccato anteacto relicta, siue peccatum habituale, à quo homo verè dicitur maculatus, & peccator, & à quo per baptismum, aut per iustifica-

Secunda conclusio.

stificationem abluitur, essentialiter adæquatè consistit in priuatione duplicis nitoris: quorum vnus quidem prouenit ex refulgentia, siue rectitudine luminis naturalis: alter verò ex refulgentia luminis diuini siue supernaturalis.

Ita expressè S. Thomas cum sæpe alibi, tum præcipuè in prima secund. quæst. 86. art. 1. & 2. eamq; tuentur Caietan. Conrad. Medin. Aluarez ad eum locum: ante eos Capreolus in quarto dist. 14. quæst. 1. conclus. 4. eandem amplectitur Bellarminius lib. 5. de amissione gratiæ cap. 19. & alij Doctores quamplurimi. Cuius assertionis euidentia in promptu est. Et quod macula sit priuatio nitoris luminis supernaturalis, patet, quia per peccatum mortale expellitur ab anima gratia, & supernaturale lumen, qui est præcipuus animæ nitor, decor, ornatus, pulchritudo: Et misera anima remanet cum aptitudine ad illa, quia facta est ad suum conditorem.

Macula est priuatio nitoris luminis diuini, & naturalis.

Quod autem sit etiam priuatio nitoris luminis naturalis secundum rectam rationem, patet, quia omne peccatum mortale, vt dudum ostendimus, est contra lumen naturæ.

Ex vno peccato consurgũt duæ maculæ.

Hinc collige, quod si anima in peccando priuatur duplici nitore, ergo priuatio, siue macula inde adæquatè orta, habebit duos respectus: immò inadæquatè erit duplex priuatio, siue duplex macula. Vna, quæ oritur ex defectu nitoris luminis naturalis: altera, quæ consurgit ex deperditione nitoris supernaturalis.

Tria discrimina inter has duas maculas.

Inter quas quidem duas priuationes inadæquatas, siue maculas, est triplex discrimen. Primum, quia macula ex defectu nitoris luminis naturalis profecta, habet locum etiam in statu naturæ: Macula autem quæ ex amissione gratiæ ac donorum supernaturalium dimanat, nequaquam. Secundum, quia prior consequitur ex quouis peccato, siue mortali, siue veniali; nam etiam

veniale

veniale peccatum deflectit à recto rationis tramite, quamuis non ita vt mortale, de qua re supra Tract. 2. Disput. 1. cap. 4. posterior autem oritur ex solo peccato mortali, quia hoc solum expellit gratiam. Tertium, quia prior est propria in vnoquoq; peccato, & quemadmodum singula peccata actualia sunt inter se distincta, ita singulæ priuationes, siue maculæ ex illis relictæ, inter se distinguuntur. At priuatio gratiæ haud est propria alicui peccato actuali, sed æqualiter à quolibet mortali potest causari. Quare in homine peccatore possunt esse plures maculę prioris generis, non autem posterioris. Enimverò qui per actum V. g. homicidij contraxit maculam homicidij, potest etiam per actum furti contrahere maculam furti, & ita deinceps. At qui per vnum aliquod lethale scelus priuatus est semel gratia, per alia subsequentia peccata non priuatur amplius atq; iterum, neq; contrahit aliam huius conditionis maculam.

Ad extremum, lubet exemplum S. Thomæ hac de re audire, ex prima secund. quæst. 86. artic. 1. ad 3. qui dum tertio loco esset argumentatus: Aut macula est aliquid positiuè, aut priuatio pura. Non primum, quia necessario vel esset dispositio, vel habitus, quorum tamen nihil est. Neq; secundum, quia tunc omnium peccatorum esset vna macula: & omnia peccata essent æqualia: cum vna priuatio non sit magis priuatio quàm altera: Respondet. *Ad 3. dicendum quod macula non est aliquid positiuè in anima: nec significat priuationem solam, sed significat priuationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum. & ideò diuersa peccata diuersas maculas inducunt: & est simile de vmbra, quæ est priuatio luminis ex obiectu alicuius corporis, & secundum diuersitatem corporum obiectorum diuersificantur vmbræ*. Sed iam ad alios culpæ habitualis effectus pergo: quare sit.

Doctrina & exemplũ S. Thomæ de macula.

CA-

minem: offensa autem & iniuria diriguntur ad Deum. Macula immediatè ac propriè est proprium hominis malum, cui sicuti adhærere Deo, bonum est, sic elongari ab eo, est malum, quia, vt Regius Psaltes Psal. 72. canit, *ecce qui elongant se à te, peribunt*. Vt ergo macula indumenti, aut lintei est eius ipsius malum, & immediatè respicit ipsum veluti subiectum quod inficit, sic de macula ex peccato in anima relicta, philosophare. Offensa autem atq; iniuria: quonam pacto cùm inter se, tum à macula dissident, ex dictis perspicuum est.

Et propterea reatus pœnæ poteſt nonnunquam conſiſtere,& ſeiungi cùm à culpa,tum etiam à pœna. A culpa quidem,quia ſæpenumero contingit, vt ſublata per iuſtificationis gratiam culpa,*remaneat reatus pœnæ temporalis exoluenda vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio.* vt Concil. Triden. ſeſs. ſexta can. 30. decernit. A pœna verò,quia etiam plerunq; euenit, vt aliquis fiat reus æternę pœnæ per peccatum lethale,& nihilominus non puniatur æterna pœna, quia videlicet dum adhuc inter mortales ageret, pœnitentiam egit. Ex quo vides,& culpam,& reatum eſſe mala. Reatus vtpote medius inter culpā, & pænam, poteſt ab vtraque ſeiungi.

Nec te quicquam turbet,ſi quis obijciat: Reatus conſequitur ad culpam,ideòq; eſt effectus peccati: ſed etiā pæna conſequitur ad eandem culpam,& ad reatum,ergo pæna etiam erit effectus culpæ,& reatus. Et cum culpa & reatus ſint mala, etiam pæna erit mala: Quæ tamen eſt a Deo. Inſtantiā.

Non inquam turbet, quia alio modo conſequitur reatus ad culpam, alio pæna. Reatus conſequitur ad culpam immediatè, & vt S. Thom. in prima ſecund. quæſt. 87. art. 1. ad 2. loquitur, *directè ponitur effectus peccati.* Eòque eſt malum. Pæna autem,& deputatio ad ipſam ſequitur ſolum diſpoſitiuè, & veluti contraria,quæ vindicat actum inordinatum: Quocirca tam pæna, quàm deputatio ad eam & bona eſt,& a Deo. Solutio. Reatus eſt malum; pæna autem bonum.

Hoc etiam docet S. Doctor in illa ſolutione,inquiēs, *pæna quidem iuſta eſſe poteſt & a Deo, & ab homine inflicta; vnde ipſa pæna non eſt effectus peccati directè, ſed ſolum diſpoſitiuè.* Quò etiam facit illud D. Dionyſ. cap. 4. de diuin. Nomin. *puniri non eſt malum, ſed fieri pæna dignum.* Homo mortaliter peccans triplicem incurrit pænam.

Verùm neq; hoc eſt ſilentio prætereundum, quod homo per vnumquodq; peccatum actuale mortale triplicem reatum incurrit,& triplicem meretur pęnā. Cu- Homo mortaliter peccans triplicem incurrit pęnam.

 ius

DISPVTATIO TERTIA.

De effectu peccati, qui est pæna.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit pæna, & an omnis pæna sit propter culpam.

QVomodo pæna, ob peccatum irroganda, sit effectus peccati, in capite proximè antegresso explicatum dedimus. Quæ quidem hunc in modum describitur: Pæna propriè dicta est quoddam malum, siue incommodum, naturę, aut voluntati contrarium, quod eo fine infligitur, vt culpa vindicetur. Sic communiter Doctores Scholastici, & S. Doctor cum alibi sæpe, tum præcipuè in prima part. quæst. 48. art. 5. & in prima secund. quæst. 46. art. 6. ad 2. In priori namque loco ostendit, *malum sufficienter diuidi per pœnam, & culpam*. Vnde colligis, pęnam esse quoddam malum: In posteriori verò ait, *Est autem de ratione pœnæ, quod sit contraria voluntati, & quod sit afflictiua, & quod pro aliqua culpa inferatur.*

Quid est pœna propriè dicta.

Tres itaque conditiones in pæna adsint necesse est, Prima, quod sit malum, non quidem morale & culpæ sed malum atque incommodum ipsi patienti, omne enim id quod rem extra statum & conditionem suam naturalem deducit, malum est. Secunda, quod sit contraria naturæ, aut voluntati: Porrò si est malum atque incommodum naturæ, & voluntati, nulli dubium, quin iisdem contrarietur. Consultò autem in definitione addidi

Ad pœnam requiruntur tres conditiones. & quæ illæ sunt.

deret, vt colligitur ex ipsa Dei sententia, in cap. 38. eius libri prolata. Hæc tamen pæna originem trahit ex peccato originali, vt explicat S. Thomas loco nuper commemorato.

Pœna autem propriè, & simpliciter dicta, quam quis inuitus veluti supplicium sustinet, semper est propter præcedentem culpam: nec cuiquam irrogatur, in quo non præcessit culpa. De hac intelligitur illud Iob. 4. *Quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti sunt? quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo, perijsse.* Et hanc propriè definiuimus supra. Pœna propriè dicta.

Ex his dirimitur etiam illa controuersia, quæ propter aliqua sacrarum litterarum eloquia, sacris Doctoribus haud modicum difficultatis iniecisse visa est, Num videlicet aliquis pro peccato alterius aliquando puniatur. An aliquis puniatur pro peccato alterius.

Ex vna quidem parte stat illud Dei pronunciatum Exod. 20. *Ego sum dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quod repetitur etiam in cap. 34.

Ex alia verò parte ipsemet Dominus, Ezechielis 18. acriter reprehendit Iudæos, quod adagij specie hoc dictum vsurparent, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt: nempe patres deliquerũt, & filij, ob illorum peccata plectuntur: minaturque illis, ne deinceps id dicti vsurpent: & demum sancit, animam, quæ peccat, ipsam perituram esse. Excipe sacri textus verba. *Quid est quod inter vos, parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel, dicentes, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Viuo ego dicit Dominus Deus; si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt; vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima quæ* Testimonia in vtranq; partem.

res. 43. hic autem cum alibi sæpe, tum in epist. ad Auitum. Et colligitur ex ipsomet Origene lib. 1. Periarchon cap. 6. Quamuis haud desint, qui velint hunc errorem esse Origenis libris ab illius æmulis insertum: & maximè quia hic compluribus alijs in locis apertè videtur docere, damnatorum supplicia fore sempiterna: cuius multa testimonia adducit Magist. Medina in primam secund. S. Thomæ quæst. 87. art. 3. ad hoc probandum.

Dixerunt alij, pęnas dæmonum esse quidem æternas, non autem hominum. Quem errorem Rufinus impingit D. Hieronymo, propter verba eius lib. 5. in Isaiam, quæ habentur in glosa ordinaria: ibi namq; D. Hieron. ad dęmonem sermonem dirigens ita loquitur *etiamsi, omnes animæ aliquando habuerint requiem, tu nunquam habebis*. Secundus error.

Alij adhuc eidem D. Patri imposuere, quod existimarit, dæmonum quidem & hominum infidelium tormenta ac cruciatus fore æternos: fidelium autem non item; sed tandem esse finiendos. Quod putant se colligere ex eiusdem Hieron. verbis lib. 1. contra Pelagium; & in fine lib. 18. in Isaiam. Verùm vtroq; hoc errore D. Patrem omninò caruisse, quiuis facile intelliget, qui eius scripta, maximè verò Apologiam aduersus eundem Rufinum, vel è longinquo prospexerit. Quare in priori loco, loquitur ad dæmonem per quandam impossibilem exaggerationem & hyperbolem, vt exponit S. Thomas in quarto sent. dist. 46. quęst. 2. art. 2. In posteriori autem loquitur de supplicijs Christianorum in Purgatorio existentium. Tertius error.

Pro huiusce rei determinatione recole duplicem esse in damnatis pęnam, videlicet damni, & sensus. Pœna damni respondet peccato ex parte auersionis, (est enim in peccato actuali mortali; & auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile) quia ęquum Pęna duplex damni, & sẽsus. Et cui vnaquaq; respondet.

est vt qui se spontè à Deo auertit, eumq; in suo æterno dereliquit, maneat auersus à Deo, nec vnquam in eius conspectum admittatur, sed in ęterno Dei perseueret ab eius regno exclusus. Pęna autem sensus respondet peccato ex parte cōuersionis, quippe iustum, & rationi maximè consentaneum est, vt qui se inordinatè conuertit ad creaturam, & vltra quàm ęquum erat, indulsit suę voluntati, patiatur aliquid ab eadem creatura, & contra voluntatem suam torqueatur. Doctrina est S. Thomę in prima secund. quęst. 87. art. 3. Qua posita.

Dicendum ex fide Catholica est, vtramq; pęnam, & damni, & sensus in inferno esse æternam.

Determinatio Catholica.

Ac pęnam quidem damni in omnem ęternitatem protrahendam esse, conuincitur ex illo Marci 3. *Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed erit reus æterni delicti.* De pęna autem sensus dicit Isaias cap. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et Christus Dominus Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Tum etiã, *Ite maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo, & Angelis eius.*

Prima demonstratio Theologica.

Accedunt Theologicæ rationes. Prima est, quia cum pęna sit propter peccatum, quod est quædam inordinatio, tamdiu durat pœna, quamdiu durat peccatum atq; inordinatio: durante enim causa, durat effectus. Sed deordinatio peccati mortalis, in quo aliquis decedit, semper, & in omnem æternitatem manet, quia in inferno nulla est redemptio, nulla peccatorum remissio, nulla vnquam pœnitentia, nam vt Regius Psaltes canit, Psal. 6. *in inferno quis confitebitur tibi?* ergo pęna inferni debita, & correspondens his peccatis, necessario erit ęterna.

Secunda demonstratio.

Secunda, summus vniuersæ creaturæ conditor Deus habet supremum & absolutissimum in omnem creaturam dominium: iure igitur potuit quodcunq; peccatum mor-

mortale sub æterna pęna prohibere; sicut econtra potuit meritum æterno præmio rependere. Ita de facto prohibuit, & re ipsa suam prohibitionem tuetur. Vide alias huius rei rationes apud S. Thomam in prima secund. quæst. 87. art. 3. & libro tertio cont. Gent. cap. 144. D. August. lib. de fide & oper. cap. 14. & in Enchir. cap. 67. & D. Hieron. in Apolog. aduersus Rufin.

Quòd si obijcias, pęna iusta, æquari debet cum culpæ cum iustitia sit ęqualitas quædam. Atqui peccatum est temporarium, atq; vt in plurimum momentaneum. quare nullatenus decet diuinam iustitiam, istud sempiternis supplicijs plectere. Ita ne? pater misericordiarum, & totius consolationis Deus, quam suis manibus effinxit animam, quam imagine ac similitudine sui condecorauit, quam precioso agni immaculati sanguine redemit, quam innumeris affecit beneficijs, subdet, & conculcabit duris ac diris supplicijs, tormẽtis, cruciatibusq; in omnem æternitatem, propter vnũ aliquod, idq; sępenumero exiguum delictum, quod, nunc quidem ex imbecilla carnis fragilitate, nunc ex ardentibus passionum calcaribus, nunc ex fallacibus mundi blanditijs, nunc ex fraudulentis dæmonum insidijs, nunc ex alijs mille vsquequaq; occursantibus causis, misellus homo illectus atq; abstractus commisit? Vbi clementia Dei, quę summa in sacris voluminibus decantatur? vbi miserationes eius, quæ super omnia eius opera extolluntur? vbi flagrans saluandarum animarum desiderium, quod in sacris paginis tantopere euehitur? vbi misericordia? vbi pietas? vbi amor?

Instantia apparens.

Nodum huius difficultatis plenè dissoluit S. Thomas in prima secundæ quæst. 87. art. 3. in respons. ad 1. quæ responsio; quia multa, eaq; pulcherrima continet, integram hic exscribam. Ad primum, inquit, dicendum, quod pęna peccato proportionatur secundum acerbita-

Responsio: & optima S. Thomæ doctrina.

tem tam in iudicio diuino, quàm in humano: sed sicut dicit August. 21. de ciuit. Dei. In nullo iudicio requiritur, vt pena adæquetur culpæ secundum durationem. Non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoq; quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoq; etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuo auferatur à societate viuentium: & sic repræsentat suo modo æternitatem penæ inflictæ diuinitus. Iustum tamen est secundum Greg. quod qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo eterno peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Vnde dicit Greg. 4. Mor. Quod iniqui voluissent sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Hec S. Thomas.

Cur Dei misericordia dicitur maior, quã iustitia?

Ad illud autem quod in eodem arg. de misericordia Dei exaggeratur, respondeo, Deum, & misericordem, & iustum esse. Dicitur autem eius misericordia esse maior, quàm iustitia, multis de causis, precipuè verò. Primò quia cum potuisset omnes homines propter peccatum Adami excludere à regno suo secundum iustitiam, voluit tamen omnes redimere, illisq; regnum celorum aperire, & omnia ad illud consequendum necessaria suppeditare, quæ est summa misericordia. Secundò, quia etiam in inferno non sumit tantam penam de peccatoribus, quanta illis debetur ex iustitia, sed misericorditer punit citra, vel infra condignum.

Sed quæres, pena sensus in inferno inflicta, & infligenda, est ne secundum intensionem, & acerbitatem finita; an infinita?

Respondeo, absolutè esse finitam, Ratio in manu sup-

petit: quia pœna sensus respondet peccato ex parte conuersionis ad bonum commutabile, vt supra expositum est. Nam ordo diuinæ iustitiæ exigit, vt qui contra voluntatem Dei vsus est creatura, seque in ea vltra ius, & fas delectauit, patiatur contra propriam voluntatem ab eadem creatura, vt instrumento Dei, quæ est pœna sensus.

Pœna sensus inferni est intenti siuè finita.

Sed conuersio ad bonum commutabile, quæ in quocunque peccato reperitur, est finita, & finite intenta: tum quia ipsum bonum commutabile finitum est: tum etiam, quia ipsa conuersio est actus creaturæ: omnis autem actus creaturæ est finitus, ergo & pœna sensus, quæ debetur peccato mortali, erit secundum intensionem, & acerbitatem finita.

Tandem pro coronide huius tractationis quæres, Pœna damni, correspondens peccato mortali ex parte auersionis a bono incommutabili, est ne æqualis in omnibus damnatis, an non?

An pœna damni sit æqualis in omnibus damnatis.

Respondeo, pœnam damni gemino modo considerari posse: Primò, formaliter, quatenus est mera priuatio, & carentia diuinæ visionis. Secundò, consideratur causaliter; quatenus videlicet cruciat, & torquet damnatos. Priori modo haud est maior in vno quàm in alio damnatorum. Quia priuatio totalis, siue in facto esse non suscipit magis, & minus, vt optimè explicat S. Thomas in prima secund. quæst. 73. art. 2. & art. 9. Cũ itaque pœna damni sit priuatio totalis, siue in facto esse, aufert enim totum bonum visionis beatificæ, non erit maior in vno, quàm in alio, sed in omnibus æqualis.

Pœna damni, vt pura priuatio est æqualis in omnibus damnatis.

Posteriori autem modo, qua videlicet damnatos cruciat torquetq; non est æqualis in omnibus, sed in vno, quàm in alio maior, secũdum maiora, aut minora vniuscuiusq; peccata. Quod vel hac similitudine discimus. Mittatur quispiam in exilium ob leue aliquod de-

Pœna damni, vt damnatos cruciat, est inæqualis in illis.

lictum. Mittatur & alter ob turpem ac fœdam causam. Vterq; ex æquo priuatur patria: nihilominus priuatio patriæ hunc longè acerbius ac fędius cruciat, quàm illum. Sic in proposito philosophare. Vel, irascatur iustè Princeps duobus e suis aulicis: vni quidem de leui errato: alteri autem propter fędum ac maximum facimus: vtrumq; ab se abigat: ecquis ambigit, quin hic multò maiori pudore, ignominia, cruciatuq; afficiatur, quàm ille? Sic in proposito: cum pęna damni, siue priuatio diuinæ visionis inferatur à summo omnium Principe Deo ex maiori odio vni reprobo, quàm alteri, iuxta maiorem aut minorem peccatorum grauitatem, magis afficiet cruciabitq; vnum, quàm alterum: & sic ex hac parte maiorem pęnam damni patitur lucifer, aut Iudas proditor, quàm alius, qui ob leuiora delicta mortalia priuatur in æternum eademmet visione beatifica. Qua quidem, Tu magne Deus, qui dum hæc scribo manumq; mentemq; meam moues, intimèq; dirigis, fac, vt aliquandò nos quoq; hilares lętiq; potiamur: teq; in cęlesti illa beatarum mentium societate facie ad faciem intueamur, fruamur, veneremurq; sempiterni.

Autoris protestatio. In omnibus autē, quę à me in hoc opere tractata sunt, tantum assertum esse volo, quantum à Sancta, & Catholica Romana Ecclesia comprobatur.

FINIS.

IN-

INDEX

Tractatuum, & Capitum

IN TRACTATV PRIMO,

Qui est de Peccato in communi, continentur.

IN

IN TRACTATV SECVNDO.

Qui est, de varijs diuisionibus peccati actualis, continentur.

IN TRACTATV TERTIO,

Qui est de subiecto peccati, continentur.

IN TRACTATV QVARTO,

Qui est de causis peccati, continentur.

IN TRACTATV QVINTO.

Qui est de effectibus peccati, continentur.

INDEX
RERVM INSIGNIORVM, NOTATVQVE DIGNIORVM,
Quæ in hoc opere continentur.

A

B

C

Cir-

D

Dæmon

E

Ele-

F

G

Homo

I

Ma-

Pec-

Pecca-

Pro-

Subie-

Errata sic corrige. Primus numerus paginam, secundus versus eiusdem denotat.

Elegat	lege eligat	pag.	39	vltima
Dilces	lege dilces	pag.	40	24
vt	lege vt	pag.	76	5
opinionem	lege opinionum	pag.	113	penult.
peccatum	lege peccatum	pag.	116	26
volontatium	lege volontarium	pag.	124	26
posltemo	lege postemo	pag.	135	27
perfrcte, astus	lege perfecte actus	pag.	151	20
astus	lege actus	pag.	151	21
connoquando	lege contra quando	pag.	173	4
Morails	lege Moralis	pag.	220	16
aei	lege rei	pag.	221	4
vnns.	lege vnus	pag.	228	6
ed efferamus	lege ed illeramus.	pag.	238	2